Neubner, Felix
Apologi graeci antiquissimi historia critica

APOLOGI GRAECI ANTIQUISSIMI HISTORIA CRITICA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

FELIX NEUBNER

BUDISSINUS



COLONIAE MDCCCLXXXIX

TYPIS I. P. BACHEMII

VIRO PRAESTANTISSIMO ADMODVM REVERENDO

IOSEPHO SCHOENBERNER

CAPELLANO

AD ECCLESIAM AVLICAM DRESDENSEM

CATECHETAE

TVTORI QVONDAM PVERITIAE FIDELISSIMO


FAVTORI AD HVNC DIEM BENEFICENTISSIMO

HASCE STVDIORVM PRIMITIAS

GRATO VENERABVNDOQVE ANIMO

D. D. D.

AVCTOR.



De Aesopo et fabularum Aesopearum quae dicuntur origine quamquam a tam multis quaesitum iam est uiris doctis, ut noui quicquam explorari posse uix relicta sit spes: tamen sententiarum. quae de his adhuc latae sunt rebus. maxima ambiguitate debilitate discordia non prius fore ut exerceri ac pungi desinar sentiebam, quam possintne certiora tandem et saniora de iis comperiri ipse uidissem. Sed acta me acturum ad easdemque peruenturum sententiarum infirmitates et controuersias certo sciebam, trita iam illis auctoribus uia si et ipse protinus ingrederer. Quare id prius erat uidendum rectene an falso ab illis instituta esset quaestionis huius ratio. Ac hercle peruersam omnium esse rationem, qui de apologi Graeci origine antiquissimi et de Aesopo quiduis elaborauerunt, certa mihi stat sententia. Neque enim. etsi fabulis [1]) non tam

---

[1]) Quamquam late patet uocis huius uis, tamen tota commentatione nostra nullo alio usurpabitur sensu praedita nisi quem praebet Romanorum apologus. Atque nobis, ne, id quod aliis accidit, iam ab initio implicemur erroribus, fabularum Graecorum antiquissarum naturae accurate definiendae supersedendum omnino esse perspicuum est ingressis modo in uiam qua de earum quaeratur origine et condicione. Ipsis autem in fabulis eas narratiunculas habendas esse persuasum habeo. quibus ab animalibus (uel rebus, quod rarius est,) quidlibet agi atque adeo dici eo consilio fingatur, ut cum alicuius hominis agendi ratione expresse aut tacite conferatur.

in ueterum scriptis quam in cotidiano sermone praecipuum fuisse locum consentaneum est, quisquam id egit, ut accuratissime perscrutandis Graecarum litterarum quae exstant monumentis fabularum omnia deinceps uestigia indagaret, earum apud singulos scriptores inquireret rationem, distingueret tempora regiones gentes: sed fabularum reliquiis quae apud ipsos Graecos exstant uix memoratis nedum recte aestimatis aut perpensis alius in aliam delatus est peregrinam gentem contortulis quibusdam et minutis usus conclusiunculis inde Graecorum fabulas una cum Aesopo profectas fortiter asseuerans. Ego uero confugere oportere ad peregrinas gentes omnino nego, priusquam quidquid ex ipsis Graecis potest disci diligenter id collegeris; praesertim cum de illis quid fabulis ualuerint multo minus constet neque quo tempore et qua uia e remotissimis regionibus in Graeciam illatae esse paruulae illae res putandae sint certum quicquam et ne ueri quidem simile sciatur[1]). Nec proficiscendum esse censeo a rationibus ut ita dicam philosophorum, quibus quatenus idoneum fuerit ipsorum Graecorum ingenium fabulis seu inueniendis seu accipiendis aliunde quaeratur — nimium in ea re morati sunt et frustra Grauertus („De Aesopo et fabulis Aesopiis", Bonnae 1825) et Kellerus (l. l.) —, uel


[1]) Kellerus, qui qua uia antiquitus magna fabularum pars ex India in Graeciam migrauerit quaest. de orig. apologi Graeci, quae insunt in Jahnii ann. IV uol. suppl., pag. 334 studet ostendere, cum alia profert incertissima tum hoc: fuisse frequentissima negotiatione maritima olim coniunctos Indum et Euphratem. Verum ne Nebucadnezaris II quidem temporibus mediocre fuisse commercium maritimum inter Babylonios et Indos nuperrime docuit El. Meyerus hist. antiquit. I 592. Paulo moderatius se gessit Wagenerus, qui quamquam obseruat. de necessitate quae intercedat inter Indorum apologos et Graecorum („Mémoires couronnés et mémoires des savants étrangers publiés par l'académie royale de Belgique", tom. XXV) pag. 122 sqq. de uia, qua apologi Indici ad Graecos peruenerint certius quid statui posse negat, maxime tamen ait esse probabile eos ab Indis accepisse Assyrios, ab his Lydos.

quibus quae fuerit apologi Graeci natura quaeque intercesserit ei necessitas cum proverbio et gnomica quae dicitur poesi eruatur — nimis acute in iis rebus uersatus praeter ceteros est Bergkius hist. litt. Graec. I 363 sqq. —, propterea quod in re tam late patenti et uetustatis tenebris obducta profecto nimis late uagari potest mens, nisi fines quosdam habet antea constitutos. Et quoniam nunc certe nescimus, eademne condicione usae sint fabulae antiquissimae atque apud posteriores Graecos apud Romanos apud nostrates uel quemuis populum, id summopere erit agendum ut quam integerrimum in quaestionem afferamus iudicium nulla tinctum atque occupatum alienarum rerum cognitione. Deinde quod cunctam istam fabularum salse dictorum historiolarumque colluuiem, quae qualibet Aesopearum fabularum collectione[1]) continetur, quandocumque ex re esse uidebatur, in suum conuertere usum non dubitabant, opprobrio dem paene omnibus eas solum fabulas existimans utendas esse pro testimoniis, quarum de antiquitate dubitatio esse potest nulla.

Etiam grauius peccatum est ab omnibus eo, quod testimoniorum, quae Graeci ipsi Graeculorumque ultimi de Aesopo fabularumque origine et condicione ediderunt maxime contraria inter se ac pugnantia, alteram partem nimis cupide arripuerunt alteram iusto citius abiecerunt. In hac re quantae se singuli dederint credulitati aut socordiae ipsa manifestum fore spero dissertatione mea. Controuersiarum autem illa turba, quae apud ipsos Graecos de Aesopo et fabularum origine obtinebat, nonne omnem incertissimam fuisse ipsorum Graecorum de iis rebus scientiam ostendit et ut summa prius diligentia in unius cuiusque fidem inquiramus quam quicquam ei in his credamus rebus efflagitat? Quae cum

[1]) Eius quae apud Teubnerum ex recogn. Halmii prodiit an. 1884 referam in fabulis laudandis numeros.

ita sint. omnium ut recte perpendatur aestimeturque testimoniorum fides nulla ego alia fieri ratione posse contendo, quam si fabularum reliquias, quae in Graecorum litterarum monumentis obuiae fiunt, maxima qua fieri potest diligentia inuestigemus et contemplemur atque ad cognitionem, quam inde de antiquissimarum fabularum origine et condicione lucrati erimus integram, tanquam ad normam reuocemus illorum auctoritatem et fidem. Itaque totius quaestionis eam instituere uisum nobis est rationem, priore parte ut quid ad fabulas referendum sit monumenta ac litteras Graecorum perlustrantes uideamus quidque inde ad earum indagandas originem et condicionem redundet lucis experiamur. In quo sedulo erit cauendum, ne idem committamus uitium, quod apud ceteras frequens maximeque in Kelleri commentatione omnibus magnopere probata grassatur. Illi enim cum saepenumero Aesopi, Aesopeae fabulae, Aesopeae aetatis mentionem prius quaestioni intulissent quam quid quodque horum ualeat ipsi uidissent nominum, fieri non potuit quin, ut erant obsoletis ueterum erroribus ab initio capti, ad incertiores debilioresque pergerent conclusiones. Mihi uero ne permisceam ab initio certa incertis uel adeo falsis, ne nominabitur quidem priore parte Aesopus iste, qui quid et quando de fabulis meruerit nunc saltem incertissimum est. Muniti deinde certa quam ex fabularum ipsarum contemplatione comparauerimus cognitione posteriore parte quidquid de Aesopo exstat testimoniorum recensebimus et ad meritam fidem redigemus. Epimetro denique quae restant Graecorum testimonia ad ipsas fabulas antiquissimas spectantia recognoscemus quidque ualeant ambabus dissertationis partibus concinentibus caute moderateque inquiremus.





Pars prior.

Litterarum prima illa monumenta mirabilia. quae tanquam imaginem totius temporis. et quo erant orta et quod ipsa describunt, undique conformatam Graecum edidit ingenium. Homerica carmina illorum temporum homines quae in animalibus uidebant esse memorabilia ea cum humana uiuendi agendique consuetudine comparare solitos esse egregie testantur; qua in re eo progressus est poeta, ut animalia pari atque homines iudicio ac mente praedita nonnunquam fingeret[1]. Sed colloquentes inter se bestias inducere epico poetae. cuius nimirum maxime interesset ea tantum in carminibus referre quae facta esse credibile est, non licuit, nec qui laudantur uersus Grauerto (p. 5) Il. VIII 185 sqq. Od. IX 447 sqq. ut prope ad fabularum rationem accedentes uerbo hic nobis digni uidentur. Obloquendum porro Bergkio est, qui (hist. litt. Graec. I 369 no.) Il. I 225 Agamemnonis uerba *ἔχων κραδίην δ' ἐλάφοιο* nata esse suspicatur ex uulgari sententia cervo cor omnino non esse[2]: uerum antiquam hanc esse famam praesumit ille nullis additis testimoniis nec hoc loco nec, ubi uberius agit de ea re.

---

[1]) Huc referas quae de leone dicuntur Il. XI 555 *τετιηότι θυμῷ*; Il. XX 169 *ἐν δέ τέ οἱ κραδίῃ στένει ἄλκιμον ἦτορ — ἓε δ' αὐτὸν ἐποτρύνει μαχέσασθαι*, de lupis et ouibus Il. XXII 263 *οὐδὲ ὁμόφρονα θυμὸν ἔχουσιν, ἀλλὰ κακὰ φρονέουσι διαμπερὲς ἀλλήλοισιν*, alia plurima.

[2]) scholiastarum ad h. l. puto eum commotum doctrina.

in adnotatione ad Archilochi fr. 131 (poet. lyr. II p. 424 sq.). Homericus ille locus nonne melius et simplicius illustratur atque explicatur ipso Il. XIII 102, ut interpretatione uel a fabula nescio qua repetita opus omnino non sit. Nuperrime autem El. Meyerus [1]) necessitatem quandam esse statuit inter Il. XXI 22 sqq. et fabularum genus, in quo delphinus piscium rex haberetur. Sed falso. Multo enim potiorum in mythologia delphinum esse partium, in Graecorum fabulis, licet omnem earum peruoluas copiam, paene nullis uirum fugisse miror doctum. Etiam audacius idem [2]) uu. Il. XXII 262 sqq. fabularum, in quibus homines cum leonibus, lupi cum ouibus paciscerentur, cognitionem redolere contendit. Verum quamuis saepe de foederibus inter animalia per se inimica factis in fabulis sit sermo, ab Homero talia foedera fieri posse uidesne omnino negari? Immo apologum quemquam a poeta hic respici expressis uetamur uerbis suspicari [3]). At profecto quia non tam singulos bestiarum mores singulasque actiones ille attulit quam iustis de iis narratiunculis, quae plus quam ad comparandum opus sit nonnunquam contineant [4]), carmen ornauit: hac tanta ubertate et licentia in animalium rebus describendis futurum dixeris non fuisse ut illi uti liceret, nisi ipsarum fabularum audientes gnaros et cupidos sciuisset, ab his autem ipsis sane fictis rebus, ne ceteris quas narrauit detraheret fidem, abhorruisse poetam epicum. Simili de causa, ut puto, Theon progymn. cap. III (rhet. Graec. I p. 172 W.) Homerum fabulam cognouisse affirmat (*ἐπιστάμενος φαίνεται*) potius, quam

---

[1]) libri qui inscribitur Indogermanische Mythen II p. 320.

[2]) l. l. p. 348.

[3]) Meyeri errores breviter notauit iam O. Crusius („Lit. Centralblatt" a. 1888 p. 256).

[4]) Exempla cum multa sint, pauca sufficiat apponere haec Il. V 136—142, 554—558, XI 474—481, 547—555, 557—561, XV 271—276, XVI 156—163, 259—261, 406—408.

quod batrachomyomachiae aut Margitae auctor ferebatur fuisse [1]). Fabularum denique non magis ad speciem quam earum ad uim ac uirtutem, quam eam fuisse hic praemonendum est, ut quis ad quiduis faciendum uel omittendum blandis quibusdam uerbis acerrime impelleretur, proxime accedere mihi uidetur narratio quam, ut uestimentum honestum ab Eumaeo accipiat, Ulixem facit excogitantem poeta Od. XIV 459 sqq. Quae, cum ficta ut fabula sit, dignior tamen multo carmine epico, u. 508 nuncupatur *αἶνος*, quo nomine solo, quantum scimus, antiquissimis saeculis a Graecis uocata est fabula. Iam igitur adultam uidit fabulam in Homeri carminibus Ulricius hist. art. poet. Graec. II p. 456. Sed ego quidem, utut sunt quae ipse suspicionem mouere posse affirmaui ea aetate eaque in regione, in qua Homeri carmina exstiterunt, fabulas iam innotuisse, dubius tamen discedam ab eo poeta, qui cum omnem illorum temporum quasi *ἐγκυκλοπαιδείαν* carmine complexus esse merito praedicetur, fabulae ne leviter quidem expressum uestigium reliquit. Et quod ne apud posteriores quidem poetas aut lyricos aut tragicos fabularum magnus cernitur in carminibus usus, id nescio an magnam partem Homeri tribuendum sit auctoritati, quippe quem tanquam iudicii artisque suae principem ac magistrum secuti sint fere omnes.

Contra Hesiodus, qui in op. et di. non res fortiter gestas aut uirorum fortium errores celebrat nec solos eos, qui plura saecula ante ipsius aetatem fuisse existimandi sunt, loquentes inducit, sed quae ipsum mul-

---

[1]) Philostrati quoque imaginum conferas I 3 (II p. 298 ed. Kays.) uerba *ἐμέλησε μὲν γὰρ καὶ Ὁμήρῳ μύθου καὶ Ἡσιόδῳ κτλ.* Liceat Zenobii hic afferre uerba qui ubi V 68 Archilochi commemorauit prouerbialem sententiam e fabula ut uidetur petitam *πόλλ' οἶδ' ἀλώπηξ, ἀλλ' ἐχῖνος ἓν μέγα* pergit: *γράφει δὲ καὶ Ὅμηρος τὸν στίχον*, et Schneidewini ad haec adnotantis: ad cyclicum carmen fortasse uersus est referendus.

torum annorum usus uitaeque experientia docuit suo profert ore, perfectam reddit fabulam uu. ib. 202—212. Hinc Hesiodi temporibus, cuius op. et di. complurium uirorum doctorum iudicio et ueterum et recentium ante Homerica carmina orta esse habentur, fabulas saltem in eorum inter quos uixit aestimatione fuisse luculenter apparet. An Hesiodei operis simplicitati magis responderet, his uerbis si inauditum usque ad illud tempus aequalibus ἐπιδείξεω; instrumentum uoluisset carmini inferre, quod qui audiuisset, nisi fabularum fuisset imbutus cognitione, derisisset atque adeo in re tam graui respuisset? Iam Goettlingius qua causa u. 202 νῦν δ' αἶνον βασιλεῦσιν ἐρέω φρονέουσι καὶ αὐτοῖς postea irrepsisse putet equidem non uideo. Iure autem uu. 210 sq. uana esse additamenta iam sensit Aristarchus, cui adstipulati sunt recentium plerique. Quod si quis epimythium eos fuisse ratus sedem eis post u. 212 assignare uult, quod Schoemanno teste Graeuius conabatur, ne id quidem ferri potest, quod, simulatque fabulae ab iis adhibentur, qui uel defendere se uel aggredi aliquem uelint, epimythium non modo superuacaneum sed molestum esse et languidum sponte patet. Atque antiquissimum quod quidem nouimus fabularum hoc exemplum non ad cunctos homines ut uulgare aliquod praeceptum spectare sed ad fratrem perfidum iniustosque iudices acrius perstringendos a poeta esse usurpatum memorabile est. Propter uocis denique formam ἴρηξ psilosi Ionica insignem fabulam hanc ab Ionibus Ascram profectam esse haud inepte mihi uideor suspicari.

Temporis nobis decursum sequentibus adeundus est Archilochus. Cuius inter fragmenta Huschkius[1]) et Grauertus[2]) duarum fabularum reliquias inueniri statuerunt;

[1]) Dissert. de fabulis Archilochi, quae impressa inuenitur in Matthiaei miscell. philol. I. p. 23 sqq. et De Furiae fab. Aesop. edit. p. CCIV sqq.

[2]) l. l. p. 14.

quarum ad alteram pertinere fr. 86—88 (Bgk.) ad alteram fr. 89 dixerunt. Parum eos sagaces fuisse apparebit. Iam fabulam de aquila et uulpe. ad quam priora fragmenta respiciunt, quibus fr. 126[1]) cum Bergkio adsciuerim. quin Archilochus a gente, inter quam erat, acceperit nemo dubitabit qui uerberum *αἶνός τις ἀνθρώπων ὅδε* sensum ac pondus moderate perpenderit. Quam quod Aristophanes Aesopi esse au. 651 dicit, nescio an maioris sit momenti quam adhuc credebatur. Sed hac de re infra erit dicendum. Neque alteram fabulam, quae quacum earum, quas nouimus, sit concilianda discerni nequit et ideo cum Huschkio et Bergkio (ad h. l.) disceptare supersedendum est, ut a poeta excogitatam aut aliunde allatam ac non potius ipsam quoque *αἶνον ἀνθρώπων* popularibus iam diu notum putemus ullo huius frustuli mouemur uerbo[2]).

[1]) Nondum probabiliter restitutum equidem censeo esse id fragmentum. Etenim cum plenum enuntiatum emendatores uel sensum per se planum in hoc uersiculo effici oportere nescio qua moti causa autumassent, cedere temere iusserunt illud *αὐτῷ*, quo pulso amplissima coniciendi iis comparata est licentia. Sed quidni simpliciore medeamur ratione fragmento illi scribendo *πυρὸς δ' ἐν αὐτῷ φεψάλυξ*, ut referatur illud *αὐτῷ* ad uocem quae praecessisse existimanda est *σπλάγχνον*, quam etiam seruatam habes in pedestri fabulae huius narratione (fab. Aesop. 6. ed. Halm.). Ceterum Ed. Wölfflinus (Mus. Rhen. XXXIX 156) assentiente Hillero (Burs. ann. 1886 uol. 46) fr. 86 initium carminis non esse habendum probabilibus ostendit causis. Archilocho porro uindicanda et cum fr. eius 88 socianda Aristidis esse uerba II p. 51 (Ddf.) a scholiasta Euripidi tributa *Ζεὺς ἐν θεοῖσι μάντις ἀψευδέστατος* et *καὶ τέλος αὐτὸς ἔχει* nuperrime Blassius (Fleckeis. ann. CXXIX 496) probauit. Audio. Sed in eodem epodo ea fuisse atque fr. 88 uel propter numerorum diuersitatem caue putes.

[2]) Bucholtzium, qui Mus. Rhen. XXVIII 176 sqq. de hac Archilochi fabula commentatiunculam cognitu sane utilem et iucundam edidit, non recta puto profectum esse ab opinione: Halmii certo esse fabulam 44 quam hoc narrauerit epodo poeta. Cuius gratia sententiae uersum 3 ille sic mutauit *θηρίων ἀρχὸς κριθείς*.

Praeterea fr. 90 et 91 alicuius reliquias esse fabulae apparet, quae licet ad fr. 89 reuoces; sed aliunde manasse aeque credibile est, praesertim cum, id quod Bergkius ipse (ad fr. 89) uerbis nixus Aristidis II 398 (Phot. bibl. 437 B) probabiliter coniecit, complures fabulas, in quibus simia partes agebat, Archilochus uideatur tradidisse.

Porro ex Archilochea quadam fabula fluxisse Bergkius (ad fr. 86) docet etiam fr. 39 et 131. Hoc quidem olim ad narratiunculam, quae est fab. Aesop. 180 ed. Halm., referre conabatur. Numuero ea fabula omnino est? Mutata deinde sententia ad fabulam confugit Halm. 183: scrupulum autem, quem elephas et camelus utpote Archilochi temporibus nondum tam noti, ut partes aliquas in fabulis subirent, illi creabant, delere sibi studet prolata audacter sententia: apologum hunc in Libycarum fabularum numerum esse referendum. En quam opportuno illi succurrit tempore nominis huius memoria, quod quantum ualeat ipse ignorauit[1]. At ne haec quidem eius constitit opinio, sed delabitur tandem ille ad fab. Babr. 95, Halm. ed. 243, cui non ita bene conuenire ea uerba ipse sentit. Sed alicuius, etsi ipsam ignoramus, fabulae frustulum esse fr. 131 Bergkio largiendum sane est. Eidem fr. 39 fabulae alicuius esse initium concedat quispiam. Quamquam prioris uersus uox ἡμῖν uerborumque copia qua taurus ille accuratius describitur fabulae rationi tam parum conueniunt, ut plane nouam ad suamque ipsius causam inuentam et formatam his poetam incohasse arbitrere uerbis. Mihi uero tantummodo comparationis superstitem partem ea esse uerba habenda pronior est opinio. Iam multo minor est de fr. 101, 102, 137 dubitatio quin sint a fabulis orta. Praecipue fr. 137 quisquis legerit, ei exemplo in mentum uenire necesse est fabulae 36, etiamsi illud μοχθί-

---

[1]) De Libycis quae dicuntur fabulis uide infra p. 77 sqq.

ζοντα propter generis diuersitatem ad ipsam uocem ἀλώπηξ trahi nequit. Fragmenta denique 118, 141, 177, 181, 188 in fabularum potius quam in alio poeseos genere ducenda esse existimo.

Inter fragmenta igitur quasi ducenta, quae e toto Archilochi relicta nobis sunt naufragio, eorum pro numero et tenuitate inueniuntur satis multa, quae in fabularum ducenda sunt reliquiis. Quod comprobatur Juliani testimonio VII 227 A a Bergkio ad Archil. fr. 86 primum laudato *ἀλλ' ὁ μὲν μῦθός ἐστι παλαιός, ἐφήρμοσας δὲ αὐτὸν σὺ πράγμασιν ἑτέροις· ὅπερ οἶμαι ποιεῖν εἰώθασιν οἱ τῇ τροπικῇ χρώμενοι τῶν νοημάτων κατασκευῇ· πολὺς δὲ ἐν τούτοις ὁ Πάριός ἐστι ποιητής.* Quodsi Archilochus primum Pari uitam degit, deinde Thasi per breue tempus commoratus est, postea illuc remigrauit et Ol. 23 (anno a. Chr. n. 688) clarus fuit [1]): ad annum a. Chr. n. 700 fabulas apud Pari insulae incolas, qui Jonicae erant gentis, iam innotuisse multumque ualuisse manifestum est. Quibus qui largissime usus est, Archilochus non in communem, quoad perspici potest, omnium oblectationem eruditionemque eas adhibuit, sed Hesiodi secutus morem aduersarium suum Lycamben earum blanda acerbitate est persecutus. Et quam parum ad ueri accedat similitudinem quod Kellerus p. 337 de Aesopo suo praedicat: seruo minus difficile esse negotium fabulas cognoscendi, colligendi, inueniendi atque adeo minus turpe, id uel in hoc poeta animaduertere licet nobilissimo oriundo loco.

Circiter Ol. 29 (664) in Jonum insula Samo et in insula Amorgo, quo illinc tum colonia deducta est, fabulas peruulgatas fuisse Simonidis Amorgini fragmentorum satis demonstratur ipsa paucitate. Quorum 8 et 9 fabulam aperte produnt. Eandem cadere in fr. 13 suspicionem iam Bergkius ad h. l. statuit. At de fr. 11 et 29, quae

[1]) Hoc inter omnes constare puto coll. Ot. Muelleri hist. litt. Graec. I p. 237 sqq.

Kellerus p. 383 in fabularum reliquiis numerare non dubitauit. ego quidem incertus haereo; testimonio tamen cum haec sunt tum maxime fr. 7, quam gratus acceptusque is fuerit non modo Simonidi sed toti tum Samiorum populo mos, ut quae in animalibus observabant ea in ipsorum humanas res et naturas illustrandas transferrent. Atque adeo nescio illi an nunquam contigisset, ut contra Homeri morem, quo is quidquid comparandi causa adfert quam plurimis describit uerbis, breuissima animalium ipsarum mentione singulas mulierum species complexus cuiquam se probaret, nisi qui fabulis frequenter auditis unumquodque eorum quae in hoc laudantur carmine quasi certae naturae imaginem habere ita consueuisset, ut tantum nomine audito (*τὴν δ᾽ ἐκ κυνός — τὴν δ᾽ ἐκ γαλῆς — τὴν δ᾽ ἐκ πιθήκου — τὴν δ᾽ ἐκ μελίσσης*) quamquodque certam significaret naturam ne paulum quidem ambigeret. Nouum hic apparere comparationum genus atque ab Homeri, quem nimirum summum artis principem etiam ille secutus est, comparandi ratione alienum concedes. Nam r e s ut quam maxime efferret ornaretque frequenti comparatione Homerum usum esse constat: Simonidem autem, m o r e s n a t u r a s q u e ut quam accuratissime uerissimeque exprimeret hominum cum ad animalium descendisset exempla, eam potius secutum esse rationem, in qua summa uersatur fabulae Samiis ut uidetur non ignoratae apparet. Eodem profecto imbutus iudicio Ribbeckius, cum totum hunc iambum in meliorem speraret redigere se posse condicionem, haud paucas quae exstant fabulas auxilio uocare non dubitauit Mus. Rh. XXIX 249 sq. Simonides uero, quem summo loco natum esse constat, grauis est testis fabulas nobilium aut principum non modo fuisse non in contemptu sed in aestimatione maxima.

Nunc priusquam pergatur, pauca praemonenda esse uidentur. Nam quoniam praeter Homerum, qui suam

habet excusationem, apud unumquemque poetarum, quos adhuc adiimus, quorum admodum rarae et breues ex parte restant uersuum compages nedum integra carmina, fabulas data occasione carminibus insertas inuenimus, ut fuisse eas atque etiam floruisse auctoritate inter eius populares iure coniceretur: cuius in poetae ullum fabulae uestigium desideratur reliquiis praesertim iis, quarum et maiorem quam apud priores fecimus casus opportunitate messem et res numerique fabulas non dicam enarrare sed tangere permittebant, ne in eorum inter quos carmina panxit quidem uita et sermone illas notas aut usitatas fuisse haud uana est suspicio. Quo quamquam poetarum silentio nullo modo astringimur, ut fabulas eorum popularibus prorsus ignotas fuisse credamus, tamen credendum puto esse eo magis, quo apud quosdam plures accedent causae, quibus quae suspicamur firmiora fiant [1]).

De Tyrtaeo breuiter potest dici. Nam quia „insignis Homerus Tyrtaeusque mares animos in Martia bella Versibus exacuit", ut ab illius ita ab huius canendi ratione alienum erat fabularum mentionem, si quas tum Lacedaemoniorum [2]) populus nouerit, embateriis et hypothecis inserere.

Alterius Lacedaemoniorum poetae Alcmanis, qui Ol. 42 (612) clarus fuit, fragmenta multas et iucundissimas imagines et comparationes exhibent, quae poetam cum naturae tum animalium amantissimum fuisse testantur [3]), fabulae ne umbram quidem. Hoc mirum est; nec casus iniquitatem reprehendas solum, quod talis rei nobis reliquerit nihil. Fabularum enim propter miram singula-

---

[1]) Quae hic in uniuersum disputantur, magis illustrabuntur in Alcaeo et Sapphone p. 14 sq. et praecipue p. 42.

[2]) Tyrtaeum Lacedaemonis indigenam fuisse ac nobilem ducem, postquam Thierschius act. phil. Monac. III p. 587 sqq. Graecorum ipsorum commenta deleuit, nemo iure negauerit.

[3]) cf. fr. 23, 12 sqq., 25, 26, 28, 60; quin etiam omnium auium se callere modos fr. 67 gloriatur.

remque speciem. quae earum apud poetas occurrebant mentiones ac frustula, ea facilius ab excerptoribus glossatoribusque conseruata esse quam alia multa et per se consentaneum est et in Archilocho et Simonide sumus experti. Neque quem tantum tenuit studium subtiles naturae imagines carmine exprimendi, eum hoc plane praetermissurum fuisse narratiuncularum genus, si alicubi apud Lacedaemonios reperisset, potest cogitari.

Argumentis his acquiesci posse censeo, quibus probetur Lacedaemoniorum populum ac fortasse Doricam cunctam gentem, cum gnomica poesi salseque dictis ualde delectarentur, a fabulis tamen Alcmanis temporibus abhorruisse.

Etiam Aeolum gens, quae Lesbum insulam incolebat, cum Pari, Sami earumque in coloniis iam ante saeculum fabularum magna fuisset auctoritas, eas si non ignorasse at certe videtur respuisse. Etenim cum Alcaei et Sapphonis quae supersunt fragmenta non pauciora sint quam Archilochi, Simonidis aliusque, amplitudinem autem si respicis fragmentorum, meliore sint condicione quam illorum: inter Alcaei reliquias duas tantum imagines ex animalium uita petitas et a poetis omnibus admodum tritas fr. 27 et 97 inuenies et fr. 99, 110, 113 prouerbia indidem sumpta, quorum ad fabulas quicquam redire caue temere credas. Et ne in Sapphonis quidem uersibus sat multis relictis fabulae est aut uola aut uestigium. Atque adeo, quod de animalibus agat, non uerbum inuenitur; plantarum contra comparandi causa descriptione magnopere oblectatam illam esse amoenissimae fr. 93, 94, 104 declarant imagines. At enim, etiamsi horum in utriusque carminibus fabulae nullius obuium fit uestigium, Lesbiorum tamen ipsam gentem eas nouisse quominus putemus quid obstat? Largirer ni alia accederet cogitatio. Consideranti enim imaginibus ab animalibus petitis Alcaeum usum esse raris-

simis iisque tritissimis, Sapphonem omnino abstinuisse et illis temporibus poetas non tam quae ab ipsis cogitabantur quam quae totius plerumque populi implebant agitabantque mentes carminibus reddere solitos esse et Lesbum non plus distare ab Asiae litore quam Samum, ubi iam fabulae florebant, et inter Lesbum Samum Parum antiquitus fuisse commercium frequens[1]) fabulae ab Aeolica gente aut ignoratae aut si quae ad eam peruenerint prorsus repudiatae atque contemptae uidentur mihi esse.

In Stesichori Himerensis carminibus quae aetatem tulerunt nullum fabulae inuenitur uestigium. Verum Aristoteles rhet. II 20. cuius uerba ad Philistum etiam uetustiorem auctorem referenda esse Bergkius poet. lyr. III p. 233 haud inepte censet, a Stesichoro fabulam de cervo et equo Himerensibus narratam esse tradit cohortem praetoriam Phalaridi daturis. Ei quidem testimonio quamuis uetustiore fortasse firmato Philisti auctoritate diffidendum esse sibi persuaserunt Welckerus opusc. I p. 212 et Weberus poet. eleg. Graec. p. 311, sed Bergkius hist. litt. Gr. II p. 289 et poet. lyr. l. l. Flachius hist. lyr. Gr. I p. 329 Sittlius hist. litt. Gr. I p. 305 nihil fidei detrahendum esse asseuerauerunt. Ac Welckerus, qua erat cogitandi subtilitate, a Stesichoro, ut omnino hominum qui cuiusuis premerentur tyrannidis importunitate describeret condicionem, hanc fabulam inuentam esse concedit, inuentae ab alio nescio quo adfictam esse narrationem de Himerensium conatu Stesichorique dissuasione. Huic sententiae quid facias, haud ambigas quaestione ad hunc perducta locum. Neque enim unquam factum esse adhuc uidimus, ut commu-

[1]) Tanta locorum, quae commercio inter se coniuncta fuisse certo constat, uicinitate meo iure puto uti licere testimonio, siquidem docti uiri uel remotissimarum regionum situ nullo obloquente abusi sunt ad fabularum originem demonstrandam, quamquam idoneo illas inter se commercio iunctas fuisse ipsi satis probare nequibant.

nis instar praecepti fabula narraretur — ueterum Graecorum gnomologicos abstinuisse fabulis uidebimus — sed suum habuisse quamque casum quo primum inclaruit et quocum iuncta per hominum ora circumiret. Quare, quamquam Phalaridis mentio, qui Agrigenti, non Himerae fuit tyrannus, uel adeo Gelonis, qui Conon. narr. 42 perhibetur. offensioni quibusdam sit [1]). fabulam a re illa gesta, cui aut originem debet aut famam, seiungendam esse negandum est et acquiescendum in Aristotelis auctoritate. — Apologum qui ab Aeliano h. a. XVII 37 eidem tribuitur Stesichoro, utrum narrauerit necne est quod dubites [2]). Bergkio autem, qui poet. lyr. III p. 227. et Hartungo. qui lyr. Graec. I p. 175 sqq. [3]) illi eum uindicant. ipse suffrager propterea, quod illum rebus publicis in Sicilia non impigre interfuisse ex iis quae antecedunt et ex uniuersa poetarum illis temporibus auctoritate apparet, ut hanc quoque fabulam eum narrasse ac fortasse ipsum inuenisse ueri simile sit. — Apophthegma denique, quod Aristot. rhet. II, 21 Stesichori esse traditur *ἁρμόττει δ᾽ἐν τοῖς τοιούτοις καὶ τὰ Λακωνικὰ ἀποφθέγματα καὶ τὰ αἰνιγματώδη, οἷον εἴ τις λέγοι, ὅπερ Στησίχορος ἐν Λοκροῖς εἶπεν, ὅτι οὐ δεῖ ὑβριστὰς εἶναι, ὅπως μὴ οἱ τέττιγες χαμόθεν ᾄδωσιν* si ipsum non ex apologo aliquo profectum est. at dici uix poterat, nisi qui audirent fabularum rationi ita fuissent assueti, ut reconditum huius dicti sensum, quem hodie ipsi uix assequi possumus, callerent.

Iam utrum carmine an solutis uerbis fabulas illas retulerit Stesichorus, certamen est obortum inter Hartungum, qui uersibus eas dictas contendit, et Welckerum ac Bergkium secus sentientes. Hic ego alter-

---

[1]) Aristotelem pro Agrigentinorum Himerensium nomen, quorum e ciuitate Stesichorus erat ortus. perperam posuisse Bergkius conicit.

[2]) Dubitationem primus Welckerus l. l. p. 213 mouit.

[3]) eius interpretandi ego argutias hic non curo.

utrum pro certo statui posse nego. Inclinatior tamen mens mea ad Hartungi est sententiam, non quo illius mouear causis maiorem partem futtilibus, sed quia e temporum illorum tenebris nulla fabula, nisi quae numerorum constricta erat uinclis, posteritati relicta est nec. quae cetera soluta oratione Stesichorus unquam dixit praeclara atque utilia, eorum quicquam aetatem tulit. Nec magis Aristotelis uerbis *εἶπεν αὐτοῖς λόγον* cogimur, ut pedestri sermone fabulam de ceruo et equo narratam putemus esse, quod in appellanda fabula illa uox *λόγος* iam multo ante Aristotelis tempora paene sola inualuit. Et ne in hac quidem re decernenda Aeliani mihi uidetur contemnenda auctoritas, qui perorata de aquila et messore fabula haec addit: *λέγει δὲ Κράτης ὁ Περγαμηνὸς ὑπὲρ τούτων καὶ τὸν Στησίχορον ᾄδειν ἔν τινι ποιήματι οὐκ ἐκφοιτήσαντί που εἰς πολλούς, σεμνόν τε καὶ ἀρχαῖον, ὥς γε κρίνειν ἐμέ, τὸν μάρτυρα εἰσάγων.*

Cum igitur Stesichorus fabulas usurpasset, etiam eius ciuibus fabulas tum non iam ignotas aut insuetas fuisse sequitur. At qui modo Doricam gentem alienam a fabulis fuisse statueramus, ipsos nostra nunc disputatione, quod ille Dorica de gente erat ortus, refelli quispiam dixerit. Minime uero. Nam quod Himeram alteram partem Dores alteram tenebant Iones, hos fabularum usum intulisse in urbem ueri simile est, ad quorum indolem ac sermonem Stesichorum etiam uniuersam suam canendi rationem conformauit[1]).

Duabus imaginibus praedita sunt Solonis fragmenta ab animalium natura et consuetudine petitis, quae nimirum ad fabulas prope accedere primo obtutu uideantur. Quarum altera fr. 37,6 ut recte intellegatur opus esse fabularum cognitione equidem nego. Immo quae illis

---

[1]) cf. Ot. Muell. hist. litt. Gr. I p. 361 et praecipue Rob. Holsteni diss. inaug. Gryphiswald. „De Stesichori et Ibyci dialecto et copia uerborum“ (1884). Oblocutus nuperrime est Hillerus in Burs. ann. 1886 uol. 46.

temporibus et in illa regione fortasse haud raro obseruari poterat naturae imago. eam ciuibus hoc in animum reuocauit uersu poeta. Sed fr. 11,5 etiamsi nulla certa tangitur fabula. hanc dicendi rationem, qua calliditatem reprehendit ciuium. quorum suum quisque optime sciret sequi commodum, communem non curaret salutem, suppeditatam illi esse a fabula non possumus non arbitrari. Attamen quoniam altiore aut subtiliore fabularum cognitione opus profecto non est, ut quis uulpis in iis cognoscat partes uerborumque illorum perspiciat sensum. tantillam rem ne nimis urgeamus neue uel probe notum acceptumque fuisse iam tum Atheniensibus fabularum genus temere concludamus cauendum est. Solon quidem quin in itineribus, in quibus plurima ciuitatium instituta earumque regendarum artes cognouit, etiam fabularum cognitionem hominibus qui in negotiis publicis uersabantur tum pergratam sit adeptus non est quod dubitemus. Enimuero cum maximus illi labor exstitisset ciuium animos ad recta in republica consilia quauis ratione dirigendi continuisque iactaretur domesticis simultatibus cumque multo plura siue uera siue ficta tradita nobis sint. quae Solonis aetate Athenis et gesta et dicta dicuntur quam eodem tempore Himerae gesta accepimus, ubi uetus fabularum memoria seruata est: ad fabulas tamen in persuadendo adhibendas quod ille paene non descendit. Athenienses tum eas aspernati esse nec in ullo habuisse numero existimandi sunt.

Hipponactis in eis qui nobis relicti sunt uersibus. quippe qui Archilochi studiosissime presserit uestigia. quod fabulae requiris uestigia. mirum sane est. Neque enim caret sermo eius comparationibus ad animalia spectantibus. uelut fr. 2, 54. 68 B. 69, 70. Uno fr. 76 plane obiter tangi suspicere fabulam aliquam, quod *ἐρῳδιόν* fabularum narratoribus haud ingratum fuisse animal Simon. Am. fr. 8 docet.

Ibycum, cuius carmina epica et erotica apologi ullius mentionem uix uidentur admisisse, mythum de asino et serpente aliquo carmine reddidisse Aelianus h. a. VI 51 auctor est. At ut omittam Aeliani hoc testimonium suspicione non carere maxima, ne fabularum quidem in numero ducendam esse hanc historiolam contendo; in qua tantummodo de dipsadis origine mirabilia quaedam narrantur mixta uidelicet rebus mythologicis. Ea nimirum, quae tantopere recedant a fabularum specie ac natura, cum in quaestionem affere testimoniorum loco docti uiri non dubitassent atque fabularum colligendarum studiosi cum iustis componere fabulis: ut turbaretur potius et obscuraretur de fabularum antiquissimarum origine et condicione quaestio necesse erat fieri quam ut in clariore poneretur luce.

Nec Simonidis Cei amplus fragmentorum numerus quicquam continet fabulae. Vitam eius et mores qui bene explorauerit[1]). a fabularum eum alienum fuisse pondere et dignitate non mirabitur. Tantum a Diogeniano[2]) *Καρικὸς αἶνος* laudatur. cuius mentionem ait fecisse Simonidem Ceum *ἐν τῷ εἰς Ὀρίλλαν*. Quem si accuratius inspexeris. Simonide illum quidem non indignum fuisse homine facetiarum salseque dictorum gnaro[3]). sed excludendum hinc esse eadem de causa concedes. qua Ibyci modo repudianda nobis in hac quaestione erat auctoritas.

In insula Samo, unde prior Simonides Amorgum transtulit fabulas, cum saeculo post commoraretur Anacreon. fabulas iam tum adeo crederes floruisse, ut aliquid earum irreperet huius in poesin. At caruisse hunc dicat quis indicio de rebus publicis hominumque mori-

---

[1]) Bene ea et quam potest breuissime exposita inueniuntur apud Sittlium hist. litt. Graec. III, 59 sqq.

[2]) praef. paroemiogr. I p. 179 (ed. Leutsch-Schneidew.).

[3]) cf. Athen. VIII 352 C, XIV 656 C, D.

bus graui ac prudenti totamque eius poesin plenam fuisse uini amorisque. Sed Strabonis uerbis XIV p. 438, quibus Polycratem tyrannum ille multis uersibus tetigisse traditur, si aliquid tribuendum est fidei[1]), in Anacreontis reliquiis saltem unius fabulae, qua erat antiquitus Sami auctoritate, mentionem iure exspectaueris. Nectamen cuiusquam sermo magis caret fabularum uestigiis quam Anacreontis, cuius ante ipsum illuc aduentum Aesopus paene immortalem ibi fabulis comparauisse dicitur laudem.

Theognidis in elegiis Bergkius hist. litt. Graec. I p. 370 fabulas tangi non ignotas (sic!) fortiter affirmauit, e quibus unam uellem significasset. Mihi quidem nulla unquam quam accuratissime eas perscrutanti facta obuia est, nisi forte, quas animalium natura ei praestitit figuras et comparationes uu. 215, 293, 559 sqq., 347, 579, 1257, 1261, 1266, ad fabulas non ignotas redire sibi persuasit. Kellero fabula latere uisa est u. 602 a Sinteni et Hartungo sic comparato: *ψυχρὸν ὃν ἐν κόλπῳ ποικίλον εἶχον ὄφιν.* Verum genuinis uerbis *ψυχρὸν ὃς ἐν κόλπῳ ποικίλον εἶχες ὄφιν*, quae sensum praebent satis sanum et idoneum, emendatores illi non contenti poetae fabulam ausi sunt imputare neque curantes, num ipsa ea fabula 97 H., quam spectabant quamque uix in fabulis numerem, iam tum fuisset satis nota, neque experti, ecqua iam tum fuisset affinitas gnomicam inter poesin et fabulas.

Fabula denique haud dubie ab antiquissima originem traxit scolium ab Athenaeo XV p. 695 A seruatum hoc

---

[1]) Nimium pressit hoc Strabonis testimonium Flachius, qui hist. lyr. Graec. II p. 525 hoc nixus Polycratem consilia publica cum poeta illo communicasse ab eoque ne crudelius quicquam imprudentiusue committeret, deterritum saepe esse uult probare.

ὁ καρκίνος ὧδ' ἔφα
χαλᾷ τὸν ὄφιν λαβών·
εὐθὺν χρὴ τὸν ἑταῖρον ἔμμεν
καὶ μὴ σκολιὰ φρονεῖν. (Bgk.)

Tandem aliquando per siluarum densitatem longam uiam et flexuosam emensi emergimus in lucem, ubi paulum potest subsisti. Nam cum ineunte saeculo a. Chr. n. quinto ingruisset ex Oriente in Graeciam bellicosa ex omnibus Asiae tum cognitae partibus conflata populorum turba et Graecorum uita et cultus orientalium populorum moribus artibusque per uim misceri inciperet: priusquam noui huius temporis in fluxum abripiamur, breuiter colligenda nobis sunt animo, quae priorum temporum, cum tranquillo Graeci populorum uterentur commercio suoque paene integro mores et uitam sibi compararent ingenio, litterarum percursis monumentis de fabularum condicione et origine possint statui.

Fabularum igitur uigebat fama
Hesiodi temporibus apud Ascraeos
circ. a. a. Chr. n. 688 (cum clarus fuit Archil.) apud Parios.
" " " " " 664 (c. cl. f. Simon.) apud Samios eiusque colonos.
" " " " " 580 (c. cl. f. Stesichorus) apud Himerenses.

Jonicae solius gentis in usu eas fuisse liquet [1]. Ignoratae sunt aut contemptae a Dorica et Aeolica. Multum inesse eis grauitatis atque adeo acerbitatis et inseruiisse eas uidimus aut perstringendis hominibus molestis et inuisis aut demonstrandis rebus ad rem publicam pertinentibus talibus, in quibus aliquid reprehenderetur;

[1]) Huic nihil officit rei Hesiodi fabula, quam ab Jonibus illi acceptam ipsa forma indicat (uid. supra p. 8).

gnomicae poesi nusquam. Hoc casu ac forte factum esse caue putas. Haud exiguus enim cum exstet carminum gnomicorum ex antiquissimis illis temporibus numerus, plane libera illa quod sunt fabularum uestigiis, id ecquis iure tribuerit casui? praesertim cum aliorum populorum poetas ut ita dicam gnomicos, ut mores bonos suaui et subtili commendent ratione, ad nihil proniores esse perspicuum sit quam ad fabulas uel narrandas uel tangendas. Fabularum autem hanc si respicis acerbitatem, easdem num idoneas uisas esse arbitremur antiquissimis Graecis ad morum praecepta communia tradenda, quibus praesertim imbueretur tenera iuuentus? Atque quoniam eas non omnes Graecorum gentes pariter cupide amplexi sunt ac praecipue Dorica gens, quamuis fuerit gnomicae studiosa poeseos et sententiis breuibus salseque dictis plena, est aspernata, apud Jones autem tam arcti sunt fines, in quibus earum cernitur usus, tamque sane infestis eae inseruiebant hominum consiliis: ipsas primo non ita arrisisse Graecorum ingeniis et nescio ex qua barbarorum terra ab Jonibus illatas esse certissimum est. Etiam qua ex peregrina regione in Graeciam irrepserint antiquissimae Graecorum fabulae, certius spero posse erui.

Animalia quae in iis partes egisse scimus haec sunt: uulpes, ceruus, equus, aquila, luscinia, ardea, anguilla, anguis, cancer; leo non comparet. Ex his ardeam, anguillam, anguem, cancrum, si quid ex animalibus certius de fabularum origine elici licet, maioris esse ad eam rem momenti debere censeo quam cetera in Graecia eiusque uicinis in regionibus frequentissima. Atque fluminis magni ostium illis indicari quis non uidet? Iam cum in insulis, in quibus maxime antiquitus fabulas floruisse didicimus tale inueniatur nullum, Maeander autem flumen in ipsa fabula Simon. Am. fr. 8 laudetur cumque apud eundem fr. 11 sq. de ouo anseris Maeandriae sermo sit neque alia ex omni fabularum multitu-

dine regionis aut fluminis exstet mentio nisi in fab. 30 H. Maeandri[1]: Maeandri olim in ualle et ostio fabulas illas inuentas esse et narratas aut certe eius per uallem sese effudisse per Graecorum mare et oras manifestum est. Et si uerum est, quod Kellerus l. l. haud inepte censet quam naturae adumbrat scolium supra allatum imaginem, eam expressam esse ad similitudinem paludis prope Ephesum sitae, quam Aeliano h. a. XVI 38 teste refertam anguibus tanta cancrorum in margine circumsedebat multitudo, ut illi exire ex ea prohiberentur, firmari nostram concedes sententiam. Denique his fabulis antiquissimis loci cuiusdam mentione insignibus adsciscendum est Callimachi fr. 91, quo sane uetustae perhibetur fabulae initium, nisi forte, quod non bestiae sed arbores in eo loquentes introducuntur, narratiuncula illic incohata est antiquae fabulae aliquid dissimilis. Quae cum ita sint, unde fabulae antiquae prima quasi specimina per Samum, Parum in ceteras Graeci nominis regiones profecta sint accuratius indagantes ipsarum contemplatione adducimur, in Maeandri solius uallem eiusque loca demissa et palustria ut confixos oculos teneamus. Contracti igitur artius sunt fines quo ducimur uestigiis quam fortasse antea quis sperauerat. Sed nonne optime ea cum re conuenire atque adeo comprobari illa uides. quae supra iam aliis ex causis euicimus, Aeolos et Dores, qui ipsi quoque haud exiguam Asiae orae partem incolebant, fabulas diutius ignorasse? Notas deinde qua erant in Jones aliena uoluntate et nonnunquam simultate fortasse data opera aspernati sunt. Jones autem, qui ipsum Maeandri tenebant ostium, cum

1) Huic e fab. 30 sumpto argumento ego quidem non nimium tribuerim auctoritatis, quia antiquam eam esse fabulam certo non constat. Quamquam iure mihi uidentur animaduertisse Kellerus l. l. p. 350 et Dresselius quaest. de fabulae historia (progr. Berolinensi a. 1876) p. 16 seruatam propter fluminis memoriam eam in antiquissimis habendam esse fabulis.

primum apud barbaros illic fabulas audiuerunt, ut cetera quae ad uitae cultum pertinebant multa ab illis seu scientes seu nescii accipiebant, his ab initio aditum ad se negare non potuisse perspicuum est.

Quibus expositis nunc demum pergendum esse existimo ad sequentis aetatis fabularum indagandam condicionem et usum. Atque Pindari Pyth. 2,72 (Boeckh.) fabulam Archilochi de uulpe et simia significari Huschkius in comment. supra laudata plurimis demonstrauit uerbis. Cuius argumenta quamquam ipse Boeckhius ad h. l. copiose iam dissoluit[1]), nonnulla tamen de conatu illius sanequam specioso dicenda relicta sunt mihi. Primum enim Huschkius quod dicit uoce μαθών exemplum significari simii in eam opinionem adducti, ut pulchrum se et honesto loco natum animal haberet, sed ludibria debentis uulpeculae adulatrici et calumniatrici, quod a pueris semper celebretur atque adeo Hieroni quoque ex disciplina puerili notum sit: fabulas iam tum pueris in doctrinae elementis tradi solitas esse ostendere uel omisit uel potius non potuit. Idem ad fabulam quandam ab Archilocho usurpatam his revocari nos contendit, quae qualis fuerit ex tenuissimis eius initiis ne certo quidem sciri posse supra p. 8 dictum nobis est. Ad tantam denique processit ille coniciendi audaciam, ut Boeckhio non intercedente delatum posterioribus uersibus poetam lyricum esse „in mediam prope animalium rempublicam" opinetur. Utinam animalium rem publicam quandam in fabulis iam tum fuisse Graecorum uerbo saltem docuisset. An fragmento ex Archilochi 89 tantam elici posse rem sibi persuasit? Ac profecto ab Huschkio, quem alii secuti sunt, loco illi sane obscurissimo non lucem allatam sed nouas obductas tenebras iam Mezgerus recte monuit. Neque enim cur

[1]) cf. etiam Mezgeri ed. p. 59 sq. huius loci explicationem.

iam cum u. 72 uulpis mentio, quae reuera demum fit u. 77, coniungatur intellego. Manendum ergo in solius u. 72 uerbis. Iam in his qui sit sententiarum nexus prius explorandum exploratoque eo critici munus exercendum suadet Boeckhius not. crit. a. h. l. Sed sensum, qualem poeta hoc uersu reddere uoluisse existimandus sit, cum alius hunc alius illum proposuerit, unde genuina uersus restitueretur lectio, prius ego tamen id agendum censeo, ut uerborum traditorum, aliquid certi si lucrari uolumus, diligenter deliberetur status. Hic est autem *γένοι' οἷος ἔσσι μαθών. καλός τοι πίθων παρὰ παισὶν αἰεὶ καλός*. Verba perquam contorta atque constricta nectamen quae sensu careant aut grammatica quae dicitur ratione. Quorum priora *γένοι' οἷος ἔσσι μαθών* sic interpretor: praesta te talem, qualis es uitae experientia morumque humanorum cognitione adhuc factus — uel: mane in iis moribus, quos tibi finxit aetas adhuc peracta studiumque tui ipsius. Quod Boeckhius ad *γένοιο* desiderare se dicit praedicatum — adsciscere enim huic auet sequens *καλός* — miror, quasi uero ex relatiua uocula demonstratiuam *τοῖος* uel *τοιοῦτος* mente hic addi uetet grammatica lex. Iam ceteris uerbis uulgarem afferri sententiam apparet ex particula *τοί*, quam ille e textu Heynio Hermanno praeeuntibus cur remouerit contra librorum consensum atque Galeni (de usu part. I 22) auctoritatem causa non est. Prouerbiali nimirum in sententia, quam his exstare Boeckhio[1]) quoque cognitum est, omnia quam maxime adstricta esse et sensu et forma quid magis est consentaneum? Atque adeo uidentur quae inter ora cotidie circumferuntur uerba, nisi aliunde eorum probe noueris originem, sensu esse nonnunquam obscura[2]). Restabant interpretanda *καλός τοι πίθων παρὰ παισὶν αἰεὶ καλός*, quae hunc mihi praebere

[1]) not. crit. ad h. l.

[2]) conferas quae Graecis in prouerbiis ellipseos exempla collegit Blaydes ad Aristoph. uesp. 808. Atque adeo uel paucas perlu-

uidentur sensum: nempe simius pulchrum se putat utpote qui cuinis infanti pulcher uideatur eiusque semper excitet stuporem. Distinguendum igitur post uocem *πίθων* et subaudiendum utrimque uerbum copulatiuum, id quod in talibus sententiis sescenties usu uenit. Iam uero huius loci cum sensus sit paululum reconditus, pro sua quisque criticorum iudicii proprietate aliquid mutandum protinus arbitratus est, prius quam uerborum mm. ss. consensu traditorum condicioni recte distinguendo et moderate interpretando satisfacerent[1]). Re tandem hactenus perducta quaerere licet, quae intercedat hunc inter necessitudo uersum et fabulas. Iam quoniam contra Huschkium decertatum est, uerbis *καλός τοι πίθων, παρὰ παισὶν αἰεὶ καλός* certam fabulam subesse nemo contendat. Comparatur enim cum simio, qui, cum stulti infantes cum gaudio et admiratione eum soleant intueri, ipse pulchrum se esse sibi persuadet, is qui seduci se a recta agendi ratione ab hominibus mente et consilio inferioribus atque adulatoribus patiatur neque propter aliorum sermones in sententia permanet suscepta. Ac ne quem offendat, quod tam sublimi in carmine poeta

stranti paroemiarum apud Gottingenses paginas ultro plurima occurent id genus exempla.

[1]) Hinc ad irritum cadere apparebit, quod Boeckhius edidit *γένοι', οἷος ἔσσι μαθών, καλός τις. πίθων κτλ* audaci quam supra notaui emendatione, Hermannus artificio usus hic non idoneo *καλός τοι π. πάρα παισίν, αἰεὶ κ.* proposuit, a Boeckhio iure refutatus. Dissenius etsi nihil nouauit in uerbis, nimis torquebat sensum distinguendo sic *καλός τοι π. π. παισίν, αἰει κ.* (cf. ed. eius II p. 212 sq.). Mommsenus sic distinxit *καλός τοι π. π. π. ἀεί. καλός. ὁ δὲ κτλ* nixus Galeni potissimum auctoritate, quam etsi ipsi in uoce *τοι* laudauimus, hic tamen minus ualere contenderim propterea, quod parum eum firma memoria usum esse uerba eius *φησί τις τῶν παλαιῶν* indicant, quam ut totius huius Pindarici loci restitutio poneretur in hoc quasi fundamento. Cetera uirorum doctorum inuenta longum est persequi, praesertim cum frustra prolata esse omnia mihi uideantur.

Hieronem monet, ut ne simii imitetur mores, sed potius Rhadamanthi constantiam et aequitatem: quicunque eam potissimum fuisse fabularum antiquissimarum uirtutem ac rationem, ut mali et peruersi mores eis denotarentur et eluderentur, perspexerit, ei ne simii hic imago, qua a praua mente regem poeta deterrere studuit, erit offensioni neque interpretandi emendandique artificiis opus esse uidebitur, quibus imaginis quaedam turpitudo uitetur aut leniatur. An magis decuit poetam Hieroni, ut eius carperet inconstantiam, puerilem exprobrare mentem? Id si secum reputasset Dissenius, principem cum simio hic conferri molestum esse et inhonestum non contendisset nec totius comparationis ita turbasset atque distorsisset simplicitatem, ut Rhadamantho non simium sed puerulos hic opponi censeret simiique, cuius profecto multo magis effertur mentio et uerborum constructione et numeris quam illud *παισίν*, paene euanesceret uis ac pondus [1]). Hunc locum qui tali ratione interpretandi temptant, ab his Aristophaneas dictiones *πιθηκισμός, δημοπίθηκος, πιθηκίζειν*, de quibus infra p. 32 uidebitur, cum horum uerborum simplicitate commixtas esse mirum non est.

Calumniatorum autem mentio fit demum uerbis u. 75 *οἶα ψιθύρων παλάμαις ἕπετ' αἰεὶ βροτῶν* adiecta comparatione u. 77 *ὀργαῖς ἀτενὲς ἀλωπέκων ἴκελοι*, de qua breuior nostra erit disputatio. Iam quamquam ne hic quidem certa fabula, quae nobis nota est, tangi ex ipso plurali *ἀλωπέκων* numero apparet, tamen non solam animalium naturam sed ipsas fabulas, in quibus uulpes calumniatricis personam induerat, Pindarum caluisse certissimum est. Ac profecto cum inter eas quae nobis de uulpe relictae sunt fabulas nulla inueniatur, in qua uulpes potissimum calumniatricis agat partes [2])

[1]) Disseni istam interpretandi rationem secutus est Leopoldus Schmidt, de Pindari uita et carm. p. 202 no. 2.

[2]) Hanc e plurimis fabulis innotuisse Graecis uulpis naturam

etiam alias atque nobis Pindaro eiusque aequalibus et Hieroni Syracusano notas fuisse arbitretur quispiam.

Huschkius autem quod sequens *κέρδει* u. 78 in *κερδοῖ* mutauit, quod libentissime receperunt Dissenius et Bergkius, uereor ne sententiae suae praesidium ipse sibi maxime uoluerit parare. Nam praeterquam quod uocum *κερδοῖ* — *κερδαλέον* quasi lusus efficitur, nihilo ipse sensus expeditior fit; fabulam uero hac una uoce significari certam ecquis opinetur? Immo quia nullam certam fabulam prioribus uersibus subesse perspicuum est, molestam hic esse unius liquet uulpeculae mentionem plurali *ἀλωπέκων* numero uixdum praeterlapso. — Ac uerbis uu. 84 sq., ut taceam de illo *σαίνων* u. 82. tantum abest ut ullam esse cognationem cum fabulis putem, ut in simplicium imaginum genere ea habeam, quibus uidelicet hominis impetus atque intemperata uis cum lupo aggrediente et instante Homerico more comparantur. Atque adeo omnino cauendum est ne plus tribuamus iis verbis, quod, si uulpis in fabula partibus u. 77 commemoratis lupi hic quasdam opponas partes, mira euadat difficultas interpretandi uersus 85, ne dicam sensus obscuritas [1]).

Iam quia Pindarum nec ignorasse nec quamuis obiter et uniuerse in carminibus tangere dubitasse fabulas perspectum est, de aliis nonnullis eius locis quatenus cum fabulis cohaereant examinandum est. Atque Ol. 11, 19 sqq. prouerbialem iam tum peruagatam locutionem, quam Suet. Vesp. 16 spectare certissimum est, subesse Boeckhio est largiendum; et fab. 149 H. eadem atque

---

testatur Themistius orat. XXII p. 277 uerbis iam ab Huschkio laudatis his *Αἰσώπου δὲ τοῦ μυθοποιοῦ πολλαχῇ τε ἄλλῃ μνημονεύειν ἐπωφελὲς καὶ ὅσα εἰς διαβολὴν εὖ ἔχοντα ἀπολέλοιπεν. ἀεὶ μὲν γὰρ αὐτὴν τῇ ἀλώπεκι περιτίθησι κτλ.*

[1]) Quantas molestias uerba illa pariant ei, qui cum fabularum ratione ea conciliare studet, ex Boeckhii (not crit. ad h. l.) et Disseni (ed. II p. 216) laboriosis intellegas explicationibus.

hic tractatur uulpis natura. Sed de fabula hic latente ulla cogitari uetat in primis consilium quo uulpis leonisque usurpat poeta imagines. Eadem de causa omni fabulae suspicione caret naturae imago, qua Isthm. 3, 63 (4, 45 Bergk.) pancratiastae describitur uirtus. At proprius ad fabulam aliquam etsi non notam accedere mihi persuasum est fr. 261 (237 Bergk.) et propter occasionem, qua Pindarum ea protulisse uerba Aristides II, 378 narrat, et propter ipsorum uerborum obscuritatem. quae nemo plane perspiciat, nisi cui fabulae cuiusdam cognitio lucem afferat.

Quae cum ita sint, eadem et apud homines auctoritate et grauitate et in usu singularitate fabulas Pindari temporibus usas esse atque antea et per maiorem quam antea Graeciae partem uel adeo per totam Graeciam uulgatas esse ex ipso poeta concludi potest Graecorum grauissimo. Et Timocreon Rhodius poeta lyricus accusatus quod fecisset cum Persis in Themistoclem his inuectus est Plutarcho teste (Them. 21) uersibus

οὐκ ἄρα Τιμοκρέων μοῦνος
Μήδοισιν ὡρκιατόμει
ἀλλ' ἐντὶ κἄλλοι δὴ πονηροί·
οὐκ ἐγὼ μόνα κόλουρις·
ἐντὶ καὶ ἄλλαι ἀλώπεκες.

En quam apta uisa est uulpis memoria poetae ad se defendendum in causa illa publica carpendumque inimicum. Neque tragicum Aeschylum poetam data occasione integram referre fabulam ueritum esse Myrmidonum eius fragmentum documento est, quod asseruavit schol. ad Aristoph. au. 808. In Sophoclis aut Euripidis tragoediis quae exstant, nihil proficiscitur a fabulis. Nam ut mittamus eos, qui Eurip. Alc. 680 fabulam uolunt agnosci, nimium sagaces ii sunt qui Sophoclem Antig. 712 sqq. imitatum esse fabulam opinentur[1]). Quin-

[1]) uelut Bergkius hist. litt. I p. 370 Nauckius ad h. l. Dreselius l. l. p. 27.

immo ut naturae imaginem integra mente contemplemur, non fabulam aliquam uulgatam memoria repetamus uerbo illo *ὁρᾷς* u. 712 nos aduerti luculenter apparet[1]. Ac Babrianam fabulam 36 ab hoc lepido Sophoclis inuento originem duxisse potius credam quam hunc in eo excogitando quicquam debuisse fabulis.

Ad Aristophanem peruenimus. Ingruit subito Aesopi nomen; nec paene ullus qui fabulas spectat inuenitur locus quin illius quoque contineat mentionem. Verumtamen cum fabularum ipsarum singulis aetatibus condicionem et usum prius cognoscenda esse stet sententia quam huius de origine aetate auctoritate obscurissima uerbum faciendum: omissa in praesenti Aesopi mentione, fabulae ipsae qua Aristophanis quidem temporibus usae sint condicione. e comico poeta caute eruere pergamus.

Atque au. 471 sqq. de cassita patrem mortuum capite suo condente exstat narratio, cui nihil cum fabulis commune est nisi Aesopi istius nomen relegandaque e fabularum est genere in aetiologicas quae dicuntur narratiunculas. Au. porro 651 sqq Pithetaerus, ut male homines cum auibus societatem inire posse doceat, fabulam de aquila et uulpe (ed. H. 5) commonet, quam, cum adeo nihil ualeat, ut Epopis pauca oblocuti domum intrare ne paulipser quidem ille dubitet ipse, solum ridiculi causa allatam esse a comico crediderim illudque *τι* u. 652 idcirco additum, ut insit narrationi Pithetaeri aliquid despicientiae et leuitatis. Eludi profecto apertissimum est ib. 807 sq. fabulam ab Aeschylo in Myrm. narratam. Pac. 129 sqq. Trygaeus, ut, qua de causa scarabaei auxilio ad Jouem se peruenturum speraret.

---

[1]) Iniuria, ut fabulam hic tangi euincatur, cum hac tragici loquendi ratione componatur comici Aristoph. au. 651 *ὅρα νυν, ὡς ἐν Αἰσώπου λόγοις ἐστὶν λεγόμενον κτλ.*

ostenderet, inepte ad fabulam confugit de aquila et scarabaeo (ed. H. 7). Itaque uel his locis omnibus, quamquam nihil de uera fabularum condicione, qua sint Aristophanis aetate usae, concludi potest, illud tamen elucere mihi uidetur fabularum genus Athenis tum tam uulgatum fuisse, ut comico liceret in quamlibet rem eas ioci causa afferre atque eludere aliquando.

Restat ut de uespis agatur, in quibus maxime uaria occurrit fabellarum multitudo. Vulgo huc referuntur uu. 566, 1258 sqq., 1401 sqq., 1427 sqq., 1435 sqq., 1446 sqq. Verum nimium quicumque de fabulis scripserunt his sunt abusi. Nimirum Aesopi pleraque notata sunt nomine ideoque in fabulis habita. Sed quota harum quaeque narratiuncularum reuera est fabula. An quae narrantur 1401 sqq., 1427 sqq. fabulas putas esse? neque historiolam uu. 1435 sqq. cum fabularum genere commiscere iure hic quisquam potest. Quos primum exulatum hinc ire iubeamus. Ex iisdem satis puto diludice apparere, quidquid historiolarum uel facetiarum alio carebat nomine, id famosam et incertam subiisse Aesopi auctoritatem, quae subito etiam fabulis inhaesit omnibus. Et confluxerant sane Athenis, postquam Persarum bellis gloriose confectis Athenienses maiores sumere spiritus uitaeque luxuriae se dare coeperunt, paulatim omnia, quae in qualibet Graeciae regione quamuis remota narrabantur mirabilia atque ridicula, quibus fabularum genus paene obrutum magnamque pristinae auctoritatis fecisse iacturam consentaneum est. Attamen uehementer errant, qui nixi uesp. uu. 557 et 1259 fabulas ab Aristophane uocari *γέλοια* disserant. Ad iocorum enim uilitatem ne apud comicum quidem poetam fabulas delapsas esse, immo uocibus *γέλοιον Αἰσώπου* et *Αἰσωπικὸν γέλοιον* solas facetias eas et sales significari, quibus eiusdem Aesopi potita est auctoritas, e ceteris intellegitur locis. iustas quibus fabulas tangi a comico poeta certum est. Iis enim quamuis uehementer ioca-

tus abstinuit illa uoce perspicue pac. 129 uerbis usus ἐν τοῖσιν Αἰσώπου λόγοις, au. 651 ἐν Αἰσώπου λόγοις ἐστὶν λεγόμενον, uesp. 1448 ὁ (scil. Aesopus) δ'ἔλεξεν αὐτοῖς.

Iam quod in ceteris eiusdem comoediis et aliarum historiolarum et fabularum mentio apparet paene nulla, in uespis tam frequens, ut non casu sed consilio id factum esse concedendum sit, iisdem ut uniuersam fabularum, qua tum erant, condicionem adumbrare possimus prospere contigit. Nam uespis quin nimiam Atheniensium in comitiis iudiciisque uersandi cupiditatem carpere Aristophanes uoluerit dubium non est. Cuius rei qui in hac comoedia fingitur esse studiosissimus Philocleon uu. 566 sq. gaudium praedicat, quod ex audiendis ibi capiatur fabulis et facetiis quibus altercantes partes inter se certent, et inde au. 1401 ipse facili negotio paene inexhaustam earum rerum eructat multitudinem, quas unde cognouerit haud ambigas. Causis igitur his luculenter comprobari uideo Aristophanis aetate uel adeo medio saeculo quinto Athenis in iudiciis maxime tritas et decantatas esse fabulas, commixtas eas cum cuiuslibet generis narratiunculis, earum pristinam auctoritatem et grauitatem defecisse, numerum mirum quantum accreuisse, usum autem fere eundem fuisse atque antea, nimirum ut peruersi hominum mores et mala facinora denotarentur perstringerentur, ludibrio darentur.

Porro inueniuntur primum apud Aristophanem dictiones quaedam sollemnes, quibus quid cum fabulis conueniat hic est uidendum. Apud hunc enim uesp. 1241 οὐκ ἔστιν ἀλωπεκίζειν ex uetustiore ut uidetur petitum scolio legitur eodem sensu, quo iam a Solone uulpis adhibitam esse imaginem p. 17 intelleximus, apertissimo neque subtilem fabularum notitiam poscente. Ran. autem 708 et 1085 πιθήκους, δημοπιθήκους quosdam ille nuncupat, equ. 887 uocem adfert πιθηκισμός, uesp. 1290 uerbum πιθηκίζειν, quas dictiones petitas esse a simii

natura credamus necesse est. Eam autem ipso illius nomine perspicuum est significari uerissimam orto uidelicet a uerbo πείθεσθαι i. e. persuaderi. obsequi. Suidas quidem qui concinente Et. M. deriuari uult uocem πίθηκος παρὰ τὸ πιθῶ, πιθήσω· πείθει γὰρ ἡμᾶς obloquentem iam habuit Henricum Stephanum et ipse se refutat, cum πίθηκον idem ualere prioribus dicit ac uocem μιμώ originem ducentem a μιμεῖσθαι. Qua propter in eos qui peruersis popoli consiliis libidinibusque obsequi contendunt optime quadrare simii nomen, si qua imagine ab animalibus sumpta opus est, concedendum est. Cuius nominis adeo inualuit usus tralaticius praecipue apud eos. qui de causis agebant publicis, ut uoces πίθηκος, πιθηκίζειν promiscue adhiberentur non solum pro ipsis κόλαξ et κολακεύκειν[1]) sed etiam pro iis qui malas sequerentur in re publica rationes aut omnino quibus quidlibet ad rem publicam spectans opprobrio seu iure seu iniuria daretur[2]). Iam etsi apud nostrates quoque et fortasse plurimos populos simii nomen satis multis teritur et prouerbiis et conuiciis, quae ad fabulas nequaquam redeunt, tamen hanc Graecorum dicendi consuetudinem manasse ex fabula existimauerim, propterea quod eodem demum illa orta esse uidetur tempore, quo frequentissimum et admodum insanum fabularum fabellarumque usum extitisse Athenis certo scimus, et rebus quae ad morum prauitatem spectant inseruiebat palam perstringendis neque tam saepe et libere illa oratori-

---

[1]) uelut Aristoph. locis supra laudatis omnibus, Plat. rep. IX 590 B, Phryn. Bekk. an. 34, 18. At Pindari loco Pyth. 2, 73 nomen πίθων non eum significare posse, qui ipse adulatur, ipsa rei simplicitate et membrorum in comparatione aequalitate euinci iam supra dictum est.

[2]) uelut Phryn. fr. 588, 2 Mein., Aristoph. Ach. 907, eccl. 1072, eiusd. fr. 347 Dind., Plat. Hipp. mai 289 B, Demosth. de cor. 242, Phryn. Bekk. an. 60, 10. Etiam ab his locis Pindaricus ille dissimilis est.

bus et poetis comicis utendum fuisse putem, nisi fabula probe nota conuicii leniisset importunitatem.

Iam eam ingressi uiam qua fabularum ipsarum singulis aetatibus apud Graecos condicionem persequimur Aesopi mentionem e tenebris subito emergentis omnibusque narratiunculiarum generibus obrepentis non curantes, pergendum arbitramur eadem, quoad ad Alexandri Magni peruentum erit aetatem noua ex Oriente inferentem in Graeciam doctrinae cultusque elementa.

Ac brevi primum dicendum est de Sophoclis epigrammate ab Athenaeo XIII 604 D tradito. Nam res, quam ille Hieronymi Rhodii nixus fide narrat, uera ut sit, tamen huc eam pertinere nego ideo quod, qui a Sophocle tangi dicitur *λόγος περὶ τοῦ Ἡλίου καὶ Βορέου* [1], in mythologicis eum habendum esse narrationibus, non in apologis persuasum mihi est.

Sophoclis paene aequalem Achaeum poetam tragicum Eretriensem ad apologorum saltem in fabulis satyricis descendisse usum fragmentum eius a Diog. Laert. II 17,133 sq. seruatum testimonio est, quod, nisi fab. 420 uel eius aliquam similem spectatores nouissent, intellegi non potuit. Quin adeo cum paucissimis uerbis apologi hic reuocetur memoria non ita noti et multa illius uerba parum plana ac perspicua esse Athenaeus X 451 C iudicet: etiam pluribus locis ab illo apologos tecte significatos esse licet existimari, quos ab aequalibus sciri ipse non ignorabat uel sperabat, sed quarum Athenaei temporibus iam diu interiisse uidetur memoria. Consilio autem quonam fabulam de aquila et testudine usurpauerit Achaeus, ex ipso fragmento non patet; nec tamen dispar illud fuisse ab eo consilio, quo post centum et quinquaginta annos Menedemus

---

[1]) Babr. est fab. 18, Halm. ed. 82.

philosophus Diogene auctore eadem usurpauit Achaei uerba πρὸς τοὺς ἀντιπολιτευομένους ueri simillimum est.

Democriti quae apud Stob. flor. X 69 exstant uerba τοῦ πλέονος ἐπιθυμίη τὸ παρεὸν ἀπόλλυσι τῇ Αἰσωπηίῃ κυνὶ ἰκέλη γιγνομένη, si reuera sunt Democritea, satis antiquam esse fabulam 233 H. docent; quae cum in tali re a philosopho adhibita sit, nouum prioribus accedere uidemus testimonium, quo fabulas hominibus non bonorum morum blanda incitamenta sed tanquam exempla esse proposita, quibus a morum peruersitate deterrerentur, egregie ostendatur. At nouum in Democrito illud cognoscitur, quod non singulos fabula ista, ut uidetur, persequitur, qua praua eorum agendi ratio ceteris deridenda committatur, sed omnes homines fabulae de cane cibum ferente iniecta mentione monet, ut auaritiae, quae beluarum sit, uitium quam maxime reformident. Etsi porro, qui ab Aristotele phys. auscult. II 4 p. 196 A laudatur ὁ παλαιὸς λόγος ὁ ἀναιρῶν τὴν τύχην, quo testudo ex aquilae per aera uolantis anguibus elapsa et hominis in caput forte incidisse narratur, eum Democrito esse uetustiorem E. Rhode[1]) causis probabilibus coniecit, tamen tacendum hic omnino esse de eo quippe qui alienus sit a fabula 419 omniumque fabularum genere ac ratione.

Ac profecto ipsius Socratis frequenter in ore fuisse fabulas, quamquam ne ille quidem inter has et ceteras narratiunculas quibus abundabat eius aetas discrimen sinebat esse, certis probatur testimoniis. Sunt enim praetermittendae, quae uulgo cum fabularum genere confunduntur, narratiunculae eius mythologicae, aetiologicae, similes quae apologorum indignae certo sunt nomine hae: Plat. Phaedr. 259 B, symp. 203 B, Protag. 320 D, Xenoph. mem. II 1, 21 atque etiam huc referam Phaed. 60 C. Sed uerba Plat. Cratyl. 411 A ὅμως δὲ

[1]) Fleckeiseni ann. CXXI p. 22 sq.

ἐπειδήπερ τὴν λεοντῆν ἐνδέδυκα, οὐκ ἀποδειλιατέον, quae ad fab. 333 et 336 alludere certum est, et Xenoph. mem. 2. 7, 13 *εἶτ' οὐ λέγεις αὐταῖς τὸν τοῦ κυνὸς λόγον; φασὶ γάρ, ὅτε φωνήεντα ἦν τα ζῷα* [1]), *τὴν οὖν πρὸς τὸν δεσπότην εἰπεῖν κτλ.* quamquam Socratem reuera unquam fecisse illa uerba neutro satis affirmatur loco, tamen Socratem in ore habuisse fabulas comprobare uidentur. Sed quid in tantillis moramur indiciis, cum etiam carmine condidisse Socratem fabulas paucis antequam decessit horis Plato certissimus sit auctor Phaed. 61 B? Quamquam quod Diog. Laert. II 42 fabulae a Socrate metro ligatae initium se habere putat genuinum paene mouet risum.

Iam consideranti, quae fuerit fabularum usque ad illud tempus apud Graecos condicio et qui fieri potuerit, ut Socrates, cum fabulas aliquas et hymnum Apollinis

---

[1]) Xenophontis hunc locum ob complures causas memorabilem puto. Omissa primum Aesopi mentio; cuius loco, quamuis saepe Socrates Aesopi nomen et auctoritatem laudauerit etiam locis parum idoneis, Xenophon copiose illum facit exordientem *τὸν τοῦ κυνὸς λόγον* sic: *φασὶ γάρ, ὅτε φ. ἦ. τ. ζ.* Etiam hoc nouum est. Quasiuero se ipse iis excusare uoluerit, quod res tam mirabiles narraret. Ac profecto, talia si quis illis temporibus, quibus fabulae primum Graecis innotuerunt, fabulam narraturus esset praefatus, nemo miraretur: Xenophonti cur hoc additamento insolito et molesto opus esse uisum sit, causam inuenio nullam nisi quod ille ea aetate, qua memorabilia Socratis conscripsit (post a. 385) fabularum cognitionem aut usum auctoritatemque inter Graecos admodum defecisse animaduertebat. Simili commotus ratione Babrius fabularum suarum librum in lucem cum editurus esset, ut fidem iis primum faceret, de aurea aetate, qua animalia humana uoce praedita fuisse tradebantur, profanda sibi nonnulla in prooemio putabat. Item Menenius Agrippa plebi fabulam, quae ad illud tempus ei fortasse omnino inaudita erat, probare uerbis studuisse his a Liuio II 32 traditur: tempore quo in homine non ut nunc omnia in unum consentientia, sed singulis membris suum cuique consilium suus sermo fuerit, indignatas reliquas partes etc. Quibuscum denique conferas Plat. polit. 272 B sq. De uerbis *τὸν τοῦ κυνὸς λόγον* infra dicetur p. 86.

metro astrinxisset. Eueno se aemulari noluisse diceret[1]: etiam Parium illum sophistam, praesertim cum forensis eloquentiae fuerit magister atque adeo orationis quaedam instrumenta et artificia uersibus eum tradidisse constet[2]), fabulas ligasse uersibus nonnullas haud contemnenda Hartungi esse coniectura mihi uidetur prolata eius in eleg. Graec. ed. I p. 131.

Praeter Socratem qui proxime ab eo stat Antisthenem cynicum. ut peruersum aliquod ad rem publicam administrandam spectans consilium dissuaderet, dissuasionem fabulae cuiusdam mentione ornasse tectis est Aristoteles, qui ubi exponit in ciuitate quae optimatium arbitrio regatur nullis eos legibus coerceri posse polit. III 13 p. 1284 A addit *καὶ γὰρ γελοῖος ἂν εἴη νομοθετεῖν τις πειρώμενος κατ' αὐτῶν. λέγοιεν γὰρ ἂν ἴσως ἅπερ Ἀντισθένης ἔφη τοὺς λέοντας δημηγορούντων τῶν δασυπόδων καὶ τὸ ἴσον ἀξιούντων πάντας ἔχειν.* Iuliani tamen ne nimium tribuamus ponderis de Anthisthene iudicio monendum est. qui or. VII p. 215 C dicit *οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ Ξενοφῶν φαίνεται καὶ Ἀντισθένης καὶ Πλάτων προσχρησάμενοι πολλαχοῦ τοῖς μύθοις*, propterea quod. quales fuerint illi *μῦθοι* iure potest ambigi et illi Platonis *μῦθοι*. id quod sequentibus demonstrabitur. speciem praebent fabulis dissimilem.

Fabularum condicione hucusque recognita quae apud plurimos etiam nunc obtinet sententia puerorum antiquitus in disciplinam eas collatas esse nec paene quicquam utilius uisum esse Graecis ad mores infantibus blande et iucunde edocendos quam fabulas. hanc nunc in examen uocare. quoniam ad Platonem peruentum est, meum esse existimo. Nam hoc[3]) grauissimo utitur

---

[1]) Plat. Phaed. p. 60 D.

[2]) coll. Plat. Phaedr. p. 267 A et apol. 20 B.

[3]) De Aristophanis au. 471 dicetur p. 70.

teste in ista probanda re Dresselius. Cuius uerba e re erit ipsa afferre, ut quam inconsiderate sint dicta facilius appareat. Apud quem legitur p. 27: ein wie wichtiges, nach Aristophanes au. 470 unerlässliches element die aesopische fabel in der jugenderziehung bei den Athenern war, darüber handelt Plato rep. II p. 377 A. Nach den ammenmärchen folgten erdichtete erzählungen, welche einen lehrhaften kern bargen (τοῦτο ὡς τὸ ὅλον εἰπεῖν ψεῦδος, ἔνι δὲ καὶ ἀληθῆ — his nimirum apologos a Platone significari ille opinatus est), und bildeten so einen passenden übergang zu den rein belehrenden vorträgen. Quanta res quam breuibus absoluta est Dresselio uerbis! Utinam paululum circumspexisset! Nam quo ualeat quantumque pateat Platonis hic uox μῦθος est quaerendum. Et perlegenti quidem totum locum usque ad p. 379 dubium non erit, quin ab infantium disciplina excludenda Plato censeat μύθους siue narrationes de dis et heroibus ab Hesiodo Homero aliis poetis traditas eas, quibus impia ac parum honesta facinora illi edidisse narrantur, fictas maxima ex parte, ne puerulo liceat dicere ὡς, ut Platonis utar uerbis 378 B, ἀδικῶν τὰ ἔσχατα οὐδὲν ἂν θαυμαστὸν ποιοῖ οὐδ᾽ αὖ ἀδικοῦντα πατέρα κολάζων παντὶ τρόπῳ, ἀλλὰ δρῴη ἂν ὅπερ θεῶν οἱ πρῶτοι καὶ μέγιστοι. Ac ne silentio quidem eis narrationibus, quas studiose excludendas e puerili disciplina esse Plato praecepit, apologos hic opponi qui eorum apud Graecos diligentur explorauit condicionem debet suspicari. Nec magis de iis cogitandum est legenti apud eundem rep. I p. 350 E ἐγὼ δέ σοι ὥςπερ ταῖς γραυσὶ ταῖς τοὺς μύθους λεγούσαις, εἶεν ἐρῶ κτλ et Gorg. p. 527 A τάχα δ᾽οὖν ταῦτα μῦθός σοι δοκεῖ λέγεσθαι ὥςπερ γραός. Tacendum plane de Theaet. p. 176 B.

Verumtamen etiam apud Platonem obuia fit fabula ea nimirum in re, cui tum soli inseruiisse illam cognitum est. Alcibiadem quidem Lacedaemoniorum auaritiam perstringentem his facit ille (Alcib. I p. 123 A) uerbis:

πολλὰς γὰρ ἤδη γενεὰς εἰσέρχεται (scil. pecunia) *μὲν αὐτόσε ἐξ ἁπάντων τῶν Ἑλλήνων, πολλάκις δὲ καὶ ἐκ τῶν βαρβάρων, ἐξέρχεται δὲ οὐδαμόσε, ἀλλ' ἀτέχνως κατὰ τὸν Αἰσώπου μῦθον, ὃν ἡ ἀλώπηξ πρὸς τὸν λέοντα εἶπε, καὶ τοῦ εἰς Λακεδαίμονα νομίσματος μὲν τὰ ἴχνη τὰ ἐκεῖσε τετραμμένα δῆλα, ἐξιόντος δὲ οὐδαμῇ ἄν τις ἴδοι.* Alludit profecto ad fab. 246, eamque in antiquissimis habendam probatur; inter omnes autem, quarum adhuc uestigia deprendimus apud scriptores Graecos, primum in hac fit leonis mentio.

Aristoteles denique quod de fabulis non in arte poetica sed in rhetoricae II, 20 disseruit, summi esse ad earum indolem et condicionem recte aestimandas momenti Grauertus p. 1 iure disputat. Itaque ne Aristotelis quidem aetate fabulas ad ludicrorum uilitatem puerulorumque utile oblectamentum delapsas esse praeclare ab ipso indicatur. Etiam aliud in hoc Aristotelis loco memoratu magis est dignum quam quisquam adhuc sensit. Etenim quid sit *παραβολή* ut demonstret praemissa obiter Socratis mentione utpote in ea re clari, exempla tamen sua ipsius mente excogitata ille profert; sed fabulas una cum causis et euentibus eorumque nominibus, qui illis usi sunt, profert. An Aristoteli, cum quid esset fabula uellet exemplis ostendere, fabulae defuissent a causarum et personarum mentione liberae, si nudas ab illis rebus narrare tum moris fuisset aut hoc earum melius conuenire naturae et condicioni sensisset? Ceterum quia cum plerisque, quas antiquas esse cognouimus fabulas, tam arcte cohaeret eius nomen, qui primus ea usus est, ut scriptori, qui post illum eandem adhibet, paene nefas uideatur illius reticere et nomen et casum: haud ita crebro usu detritum esse fabularum genus excepto illo tempore, quo Persarum bello confecto Athenienses earum insanum tenebat studium, neque admodum uilescere potuisse consentaneum est, quamdiu maxime *πολιτικαί*, ut uoce utar schol. ad

Aristoph. uesp. 1258 aptissima, erant et unaquaeque fere eius nomine circumferri solebat, qui primus eam nobilitauit. Ex Aristotelis met. II. 3 quae uulgo in fabularum numerum refertur historiola (Halm. ed. 19), eam procul hinc relegandam esse concedes.

Atque quamquam uerendum erat, ne simulac magnum illud Graecos inter et Persas certamen exortum esset, mores cultusque, qui ex oriente utpote fabularum pleno semper habito in Graeciam inuaderent, aliquantum etiam commutarent Graecarum fabularum condicionem: tamen eam haud aliam fuisse post bella Persica quam ante illa uidimus atque adeo proficiente magis magisque dicendi arte et perducta a Demosthene eiusque aequalibus ad summam perfectionem fabulas ab iis oratoribus quorum orationes ad nos peruenerunt plane contemptas esse constat[1]). Illud autem etiam atque etiam statuendum est, ut fabularum antiquissimarum praecipuus locus apud eos fuerit, qui rei alicuius peruersitatem quam grauissime efferre studerent aut iniurias blandis uerbis defendere[2]), ita uestigio nos adduci sanequam nullo, ut iisdem temporibus illas tanquam primae eruditionis elementa morumque praecepta communia pueritiae tradi solitas esse dicamus.

Extremo loco batrachomyomachiae in hac quaestionis parte liceat commonere. in qua sane animalia hominum ritu locuntur et belligerant, fabulae tamen aliud

---

[1]) Demosthenem cuiusuis generis narratiunculas excludendas esse ab oratore perfecto censuisse apparet ex Plut. uit. X orat. p. 848 B.

[2]) Hanc solam fuisse fabularum antiquissimarum uim ac uirtutem unum praeclare perspexisse ac professum esse uideo Ulricium poes. hist. II 457 sq. Quamquam, cetera quae de fabula disputauit si recognoueris, etiam illum nimis procliuem esse non poteris non arguere ad opinionem fabulam antiquitus poetarum praesertim gnomicorum fuisse propriam.

nihil simile apparet. Neque enim alio consilio nisi ut parodia eluderetur diuinus poeta orta illa est. Hoc autem maximum inter illam et fabulas esse discrimen animaduerterim. quod in his diuersae opponuntur animalium naturae et mores humanis. in illa hominum ritus et mores illepido. ut nonnullis uidetur. modo et inficeto bestiolae quaedam imitantur.

Ac ne ulli de fabularum antiquissimarum condicione et origine quaerentis parti defuisse uidear. uasorum Graecorum. quaecunque enumerantur in catalogis musei Berolinensis. Monachensis. Petropolitani. Neapolitani. etiamsi permulta res a dis et heroibus gestas aut opera hominum cotidiana aut animalium effigies mixtas humanis describunt atque adeo paene unum quodque ambeunt nonnulli circuli beluati. tamen in nullo quicquam cernitur. quod ad fabularum rationem uel uideatur propius accedere. Id quamquam nimii facere nolim. tamen singulari fabularum apud Graecos condicioni respondere mihi uidetur digitumque in id intendisse satis habeo.

Admodum igitur minutam fuisse fabularum laudem et famam Demosthenis et Aristotelis aetate euicimus. At horum temporum dixeris in monumentis ac litteris illas quidem non apparere. cotidiano tamen hominum usu uigere non desiisse. Hoc nimis argute obloquare neque ego fieri illis temporibus unquam potuisse contendo. Primum enim fere septem saeculorum perscrutatis spatium ne tenuissima quidem suspicio nobis est oborta in consuetudine hominum fabulas etiam aliis inseruiisse causis atque in litteris. Ecquae enim restant causae. in quibus ad fabulas narrandas descendisse putanda sit ueterum Graecorum consuetudo? An in tradendis morum praeceptis. qua e re contra nostratium consuetudinem a Graecorum gnomologicis ueteribus fabulas exclusas uidimus esse? An in oblectandis infanti-

bus, quibus fabulas narrari solitas esse credere Platonis uetamur uerbis? Neque cogitari potest futurum fuisse ut fabulae, quibus tantummodo qui in re publica uersabantur maxime utebantur, a Demosthene oratore eiusque aequalibus magnopere neglegerentur, nisi earum defecisset etiam communis usus. Nec uero ampliorem fuisse in consuetudine Graecorum fabularum usum atque in litteris egregie testari mihi uidentur Graecorum paroemiae, sapientiae eius quidem thesaurus, quae libris non comprehendebatur et per manus instar suppellectilis ad uitam expeditae tradebatur. Hae quas nec feminae ignorabant nec imperiti et parentibus tanquam *πατροπαράδοτον σοφίαν* debebant liberi, cum numero paene careant et permulta contineant quae ex animalium natura aut consuetudine sint petita, uix quicquam exhibent quod fabulae profecto commoneat. Neque enim in Zenobianae Diogenianaeque prouerbiorum farragine, quae satis integra ad hanc aetatem propagata est, quicquam inuenitur quod fabulae originem debere constet aut putare necesse sit. Uulpis sane in prouerbiis gratum Graecis acceptumque fuisse usum intellegitur ex Zenob. I 67, 70 (coll. Aristoph. uesp. 1241), 71, 93, II 90 V 68 Diogen. V 15 Macar. VIII 17, quae cum eandem uulpis prodant naturam quae in fabulis describitur, ad certas tamen quasdam fabulas referri nec queunt nec referri opus est. Ad fabulas etsi ignotas redire suspicere tantum Zenob. III 20, 45, 74, IV 60 Diogen. V, 96. Ex Aesopi fabulis ducta prouerbia quae quidem Leutschius esse in indice ad ed. paroem. adnotauit GCM I 86, M. III 48, Ap. VI 84a VII 96 XII 97c XVIII 60, 61 MP III 42 ea quidem prouerbia a postremis laudari paroemiographorum, in Zenobii Diogenianique copiis non exstare mirum est.

Fabulas, quamdiu usu florebant et suam paene habuit quaeque occasionem nominisque auctoritatem, quibuscum iuncta per ora circumibat ac hominum menti-

bus inhaerebat: tamdiu hic illic dissipatas in unum colligere librum opus non fuisse quicunque Graecorum ueterum uitam et cultum recte considerat concedet. Sed euanescente earum et usu et memoria dissipatas et obliuione paene obrutas in lucem protrahere et undique cogere in librum nonnemo tum demum facile poterat in animum inducere. Ergo, quidquid a uiris doctis disceptatur, fueritne ante Demetrium Phalereum fabularum Graecorum corpus necne [1]), earum condicione singulis aetatibus ipsa perspecta supersedendum esse huic quaestioni ultro apparebit. Nonne simili modo Homericorum carminum tum demum collectio facta eorumque confirmata per litteras sunt forma spatiumque, cum iam in eo esset ut magis interciderent eorumque genuina forma interire inciperet? Et postquam Aristoteles in ueterum Graecorum prouerbiis excutiendis primus studium operamque collocauit, tum demum alios hoc excitatos facinore ueri simile est operae pretium duxisse apologos colligere ad illud tempus uulgiuagos. Atque peropportune accidit quod ab Alexandro Magno tum totus patefactus est oriens Graecisque cum populis Semiticae stirpis tum frequens et liberum factum est commercium. Itaque facile potuit fieri ut, cum fabularum quicquid a quibuslibet populis poterat congeri congestum esse ab eius rei studiosis uiris consentaneum esset, noua afflueret ex interiore Asia subito fabularum uis eamque ob causam Babrius, cum saeculo post Chr. n. tertio [2]) fabularum syllogen ederet suam, asseueraret fabulas, quarum ipsis Graecis usque ad illud tempus profecto latebat origo, esse omnino *Σύρων* (h. e. Assyriorum) *παλαιὸν εὕρεμ' ἀνθρώπων* (prooem. alt. p. 66 ed. Eb.). Undique autem

[1]) Praecipue inter se de hac re pugnauerunt Wagenerus l. l. p. 12 sqq. et Landsbergerus libri cui inscribitur „die fabeln des Sophus, syrisches original der griech. fabeln des Syntipas" p. CI sqq. Cf. praeterea Rothii ann. Heidelb. 1860, 4, Kelleri p. 384.

[2]) cf. Crusius, stud. Lips. II.

collectas et in libellos congestas fabulas et puerorum manibus traditas et politicas esse desiisse sponte patet. Sed quoniam tam acre exstitit studium Demetrii Phaedri Babrii aliorum [1], ut fabulae, undecunque poterant, corraderentur ac nouas uires opesque illorum uirorum opera tanquam per uim additas esse earum generi paene emortuo constet: ne nouorum temporum contemplatio obscuret aut perturbet priscorum imaginem, iam subsistendum nobis hic est temporis satis magno spatio percurso ad indagandas antiquissimarum fabularum apud Graecos originem condicionemque.

[1]) Haud paucos ipsius Babrii exemplo excitatos esse, ut fabulas conquirerent carmineque redderent ex illius apparet prooem. alt. uu. 9 sqq.





Pars posterior.

Fabularum antiquissimarum condicio qualis apud Graecos fuerit quaque aditum in Graecos regiones inuenerint uia ipsis eorum monumentis quoad eius fieri poterat perlustratis satis elucere spero. Tanto munitis praesidio nunc demum intromittendus nobis uidetur Aesopus. Uerum enimuero maxima subito emergit testimoniorum dissensio, quae aliquo modo ut dirimatur fore paene desperandum est, nisi ad certiora illa, quae e priore lucrati sumus disputationis parte quasi ad tutum praesidium confugere liceret. Cum quibus quicquid conciliari ullo modo poterit. uerum esse libenter profitebimur; quae aduersabuntur eis, ita reicere nostrum puto esse, ut quo quisque errore inductus auctor falsa tradidisse sit putandus nixi comparata iam prioribus de fabulis cognitione quoad poterit indagemus.

Sed exoneranda prius haec disputatio nonnullis est profecto delectationis causa fictis de Aesopo narrationibus, quae fide ne dicam mentione dignae sunt nulla. Nam et eam quae uulgo fertur Planudis nomine uitam Aesopi et eam quae in Westermanni inest biographis Graecis scatere mendaciis et nugis a Kellero p. 362 sqq. egregie notatum est. Et contra Plutarchum, qui Aesopum uit. Sol. p. 94 narrat in Croesi regia cum Solone

conuenisse et septem sapientium conuiuio in domo Periandri interfuisse et Croesi iussu Delphos profectum cum donis, depugnatum a Grauerto est l. l. p. 44 sqq. et 61 sq. Neque plus idcirco tribuendum est ponderis quod Alexis comoediam quae appellata erat *Αἴσωπος* scripsit, in qua apud Croesum commorantem cum Solone Aesopum ille finxisse Welckero[1]) iure uidetur. De his igitur omnibus susque deque. Restant grauiora testimonia, quae optimo iure multorum iam exercebant ingenia et, cum alius alia explicatione ea templauerit singulorumque fidem nemo ut par est diligenter perpenderit sed quae apta sententiae suae praeoccupatae esse uidebantur, ea maxime presserit, sententias maxime uarias et incertas excitarunt de auctoritate uita patria Aesopi. Neque a quoquam ita de his actum est rebus, quin nonnulla relicta esse quae inter se pugnent atque adeo cum ceterarum rerum in Graecia statu dissentiant perspicuum sit aut ipse confiteatur. Nam ut omittam eos, qui obiter tantum eas tractauerunt res: qui primus accuratius totam rem perscrutari ac diiudicare conatus est Grauertus uideamus quidnam longa ille et copiosa dissertatione sua euicerit. Quod ut paucissimis ipse comprehenderet, p. 92 „mihi, inquit, hoc dubitandum non uidetur uixisse aliquando[2]) uirum quaendam alienigenam in Samo insula seruum, qui ex peregrina quadam terra ad Graecos fabulas deportauerit. Quae regio qualis fuerit si quaesieris ambigi quidem potest: in duabus enim terris diuersis fabulae aliquando floruerunt,

---

[1]) commentatiunculae cui inscripsit „Aesop eine fabel", quae inest in Mus. Rh. VI et opusc. II, huius quidem libri p. 251 sqq. In ea laudanda equidem pergam opusculi referre paginas.

[2]) Ipsum auctorem, qui paulo ante (p. 90) Aesopum fuisse Amaside in Aegypto regnante affirmauerat, suo iudicio iam hic uides diffisum esse. Ceterum Grauertum quod Kellerus p. 374 inter eos nominat, qui unquam fuisse Aesopum negant, admodum miror.

et in Asia et in Africa. Et Lybicas quidem fabulas genuinas esse Aesopias, cognatas Aegyptiacas ipsas quoque Aesopo tributas euicisse me puto: apud Libyes fabularum inuentio immani quanta ferorum uaria ac multiplici copia adiuuabatur, apud Aegyptios hieroglyphis; ac facere huc uideantur nomina *Αἴσωπος* et *Μεσημβριηνός*[1]). Verum tamen ponderatis cunctis quam accuratissimo iudicio perduci eo debere mihi uideor, ut ex Asia non ex Africa originem fabulatoris repetam." Hoc quantillum est et in hoc quam nihil certi ne dicam sani! Seruum in Graeciam deportasse num credamus fabulas, quibus nullos usos esse uidimus nisi eruditissimos quosque atque adeo nobilissimos ad quoduis peruersum in republica consilium aut prauos mores perstringenda? Et uixisse istum ea aetate, qua neque nouas exstitisse fabulas inter Graecos neque maxime floruisse neque in earum ratione aut condicione quicquam commutatum esse constet, ecquis opinetur? Quod autem fabularum Graecorum originem repetendam esse uel ex Asia uel ex Africa ille dicit, ecquid fecit praeclarum, cum latius patere uix possit aditus, per quem in Graeciam peruenisse fabulas ille disputauit.

Kelleri acumen quod de Aesopo protulerit iudicium, hisce ipse breuissime complexus est l. l. p. 376: „dieser mann (scil. Aesopus), dem die Griechen ihre erste fabelsammlung verdanken, hat nach meiner ansicht im 6. jahrhundert v. Chr. als phrygischer sclave auf Samos gelebt und zwar im ersten drittel". Quod ut assequeretur, ipsius ille usus est multo magis egregia sua noua excogitandi facultate quam testimoniorum, quae antiquitas de Aesopo exhibet, recta integraque aestimatione. Quanto enim opere testimoniorum auctoritate plane destitutus infimorum maxime hominum apud Graecos antiquitus in usu fuisse fabulas, ut sententiae suae prae-

---

[1]) Id quid sibi uelit nomen p. 66 sqq. aperuit.

sidium consequatur, sibi persuadere studet, tanto opere fabularum nobis condicionem usque ad Alexandri Magni aetatem persecutis etiam atque etiam monendum uidetur usque ad illud tempus ne minimum quidem uestigium obuiam factum nobis esse. quo fieri unquam putemus potuisse, ut seruus aliquis saeculo sexto in insula Samo de fabulis permire mereretur. Quid? quod Kellerus seruili eius, qui nomen toti fabularum generi imposuit, ordine non modo non offenditur, sed cuicui inepta uideatur illa res eum ad Alcmanis, Phlegontis, Epicteti condicionem p. 378 prouocat. De Alcmanis seruili statu optimo iure nunc dubitari ille nesciit. Phlegontem autem et Epictetum aetate multo posteriore et toto caelo dispari fuisse uellem ille respexisset. Etenim seruos qui ingenio ualerent a priscis Graecis repudiatos atque adeo ignoratos esse docent Beckerus Char. III p. 25 (Goell.) et Buechsenschuetzius libri cui inscriptum est „besitz und erwerb im altertum" p. 155 et 190. Loquendi denique cum dominis licentiam priscis temporibus Graecorum seruis omnino non fuisse colligas ex Eurip. Phoen. uu. 391 sqq. coll. Aristoph. plut. uu. 1 sqq. Mittam hic Kelleri ceteram de Aesopo disputationem: quantopere eius summa laboret ex iis quae attuli puto satis elucere.

Ac profecto fuerunt qui, siue quod melius quae de Aesopo exstant testimonia inter se concinnari posse censebant, siue quia sententiae suae de fabularum origine praeoccupatae melius respondebat, nunquam dixerint Aesopum fuisse et, quae de eo circumferrentur, ea partim ad ipsarum fabularum originem et condicionem esse conformata partim mera fabulandi mentiendique libidine esse conficta et adornata. Quod cum fecerint iam inde a renatis in Germania litterarum Graecarum studiis nonnulli, nemo tamen diligentius sagaciusque in ea re uersatus est quam Welckerus uir praeclarissimus laudatis quos supra diximus

locis[1]. Cui tanquam principi applaudentes adnuerunt Wagenerus Zuendelius Rothius Landsbergerus. Verumtamen alius restare mihi uidetur scrupulus, quo tota Welckeri argumentatio labefactetur. Neque enim equidem intellego quam ob rem imago illa Aesopi, quippe quae uniuersam fabularum praebeat speciem et rationem, tum demum Graecis oborta sit, cum fabularum iam paulum euanescere uidimus famam gloriamque atque quae prius earum gustauerunt acerbitatem Hesiodi Archilochi Simonidis Stesichori aetates talem non desiderauerint personam, cui fabularum inuentarum aut aliunde allatarum induerent gloriam. Subito autem saeculo ante Chr. n. quinto mentio apud Herodotum II 134 *Αἰσώπου τοῦ λογοποιοῦ* primum occurrit iuncta simul cum tali causa, quae oraculum Delphicum in magnam omnium inuidiam induceret. Atque famam tam turpem oraculum subiturum fuisse arbitremur, nisi reuera uixisset aliquando is, in quem editum esset malum illud Delphis facinus? Itaque hominem certe fuisse non possum non arbitrari[2], ad quem omnes de Aesopo narrationes redeant.

Atque quoniam in maxima testimoniorum ambiguitate et controuersiis uersamur, id erit in primis agendum ut in singulorum testimoniorum fidem quam diligentissime inquiramus, eorum priusquam aliquid in nostrum conuertamus usum.

Inter omnes scriptores Aesopi modo dixi mentionem quantum scimus primam fieri ab Herodoto. Is. II 134 Rhodopidis meretricis aetatem definiturus haec exponit: *ἔτεσι γὰρ κάρτα πολλοῖσι ὕστερον τούτων τῶν βασιλέων τῶν τὰς πυραμίδας ταύτας λιπομένων ἦν Ῥοδῶπις, γενεὴν μὲν*

[1]) Ibidem qui sibi praeierint hanc sententiam in ipso initio enumerat.

[2]) Item Kellerus p. 374 sq. causis mihi minus probatis Welckeri eiusque asseclarum conatum improbauit.

ἀπὸ Θρηΐκης, δούλη δὲ ἦν Ἰάδμονος τοῦ Ἡφαιστοπόλιος ἀνδρὸς Σαμίου, σύνδουλος δὲ Αἰσώπου τοῦ λογοποιοῦ. καὶ γὰρ οὗτος Ἰάδμονος ἐγένετο, ὡς διέδεξε τῇδε οὐκ ἥκιστα· ἐπεί τε γὰρ πολλάκις κηρυσσόντων Δελφῶν ἐκ θεοπροπίου ὃς βούλοιτο ποινὴν τῆς Αἰσώπου ψυχῆς ἀνελέσθαι, ἄλλος μὲν οὐδεὶς ἐφάνη, Ἰάδμονος δὲ παιδὸς παῖς ἄλλος Ἰάδμων ἀνείλετο· οὕτω καὶ Αἴσωπος Ἰάδμονος ἐγένετο. Id quidem primum de ipsius Aesopi nomine statu fato quod ab antiquitate accepimus testimonium est. Aesopicae autem uocantur fabulae, cum antea *αἶνοι* uel *μῦθοι* (*ἀνθρώπων*) nude appellatae sint[1]), ex antiquissimis auctoribus, quorum quidem scripta exstant, primum ab Aristophane. Cuius fere aequali Democrito primo quantum scimus, ut fabulam quam breuissimis memoret uerbis, dicere placuit *ἡ Αἰσωπηΐη κυών*. Hunc secuti postea sunt multi. Iam quoniam, ubi ab Herodoto suo Graecorum gens Aesopum Iadmonis Samii fuisse seruum et Delphis esse interemtum accepit, etiam fabulae ipsae tum demum Aesopicae appellari mirum quantum subito coeperunt, et quia historiarum illius maxima fuit iam apud aequales partibus singulis hic illic palam recitatis notitia auctoritas admiratio: Herodoti quod exstat de Aesopo testimonium plurimum ualuisse iam apud aequales ad famam Aesopi peruulgandam haud temere dixerim, nobis uero pluris esse faciendum quam quisquam adhuc fecit contendam. Plus iusto auctoritatis detraxit Grauertus huic Herodoti loco p. 55 haec disserens: „manifestum est Herodotum eo tantum consilio de Aesopo dicere, ut Rhodopidem in insula Samo Aesopi aequalem uixisse comprobet: neque enim *θεοπρόπιον* illud explicuit nec quaenam haec esset *ψυχῆς Αἰσώπου ποινὴ* declarauit. Quum uero solo hoc loco Herodotus Aesopi mentionem iniecerit, quid

[1]) Etiam Aeschyli fragmentum supra laudatum Aesopeo caret nomine; neque dubium est quin Callimachi uerba *οἱ πάλαι Λυδοί λέγουσιν* (fr. 91) priscam redoleant antiquitatem.

istis de fabulis ipsius aetate creditum hominibus fuerit ignoramus." In transcursu quidem illa de Aesopo narrata esse ipse concedo. Sed parum prudenter et accurate illum in huius loci consilium et indolem inquisiuisse. ut eum tantilli faceret tantaque ab eo cum desperatione discederet. ex iis quae deinceps dicentur apparebit. Sed ego medius fidius omnino proficiscendum esse ab Herodoti loco ac. nisi iisdem difficultatibus et erroribus implicari nos uolumus atque ceteris accidit, totius de Aesopo quaestionis summam puto in ea sola uersari opera. huius uerborum ut diligentissime perpendatur sensus exploretur consilium aestimetur fides fons indagetur.

Atque totam Herodoti de Aesopo narrationem in duas discedere partes nemini adhuc quod sciam est obseruatum. Altera enim parte quae iam nota aequalibus esse ipse sciebat breuissime tanguntur. Facultas quidem qua polluisse dicitur Aesopus laudemque sibi peperit immortalem significatur sola appositione *τοῦ λογοποιοῦ*. Et cum in his *ἐπεί τε γὰρ . . . ἀνελέσθαι* nec qua causa *θεοπρόπιον* ediderit Phoebus nec qua culpa nec quo modo mortem ille Delphis subierit ne uerbo quidem sit memoratum: de iis rebus utpote omnibus non ignoratis nihil amplius docere sibi opus esse. praesertim cum totam in transcursu tetigisset rem. Herodotus iure putauit. Altera autem parte Herodoti plurimum interfuisse ostendere quae noua ipse de Aesopo comperisset ex tota eius dicendi ratione probe cognoscitur. Nam uerbis *καὶ γὰρ οὗτος Ἰάδμονος ἐγένετο* tanquam proponit rem, quam demonstraturus est. Deinde argumenta satis multa attulisse se ratus uelut in conclusione iusta quaestionem absoluit uerbis *οὕτω καὶ Αἴσωπος Ἰάδμονος ἐγένετο.* Hac igitur disputandi ratione nonne probatur ipsa Herodotum noui aliquid de Aesopo edocendi studio data occasione consulto indulsisse potius quam id solum egisse ut Rhodopidis aetatem incertam hac re item noua et dubita-

tioni obnoxia constitueret? De uerbis denique *ὡς διέδεξε τῇδε οὐκ ἥκιστα*, quae ipsa quoque nouas hoc loco res a notis discernendas esse confirmant. pluribus infra p. 64 erit sermo.

Singularem proposuit de huius loci consilio sententiam Wagenerus, qui p. 29 sq. motus fortasse Welckeri uerbis l. l. p. 239 Herodotum hic uoluisse impugnare aliam de Aesopi origine tum uulgatam opinionem censet nempe „c'est en contradiction avec elle qu'il se force de prouver qu'Esop était non de Sardes mais de Samos, non pas un favori de Crésus mais un esclave d'Iadmon.“ Verum neque hanc aut aliam de Aesopi patria opinionem tum cum Herodotus scribebat, iam exstitisse suspicio est ulla et ea artis criticae exercendae ratio ab hoc scriptore prorsus alienissima erat, ut sententiam suae ipsius contrariam quae exstaret non commemoraret, impugnaret tamen[1]).

Quod igitur Aesopus seruus fuisse Jadmonis Samii dicitur, unius Herodoti debetur auctoritati; *λογοποιόν* eum fuisse Delphisque falso crimine accusatum et morte multatum iam eius aequalibus notum fuisse ex ipsa scriptoris ratione narrandi intellegitur. Eadem etiam alia plura atque his contraria de Aesopo iam tum esse circumlata uetamur opinari. Ac praeclare hanc nostram sententiam confirmari uideo ab eius paene aequali Aristophane. Is enim quae Herodotus noua narrauit, nescio

[1]) Herodoti artis criticae rationem ut penitus cognoscerem, consului Laemmerhirtii de Herodoti fide quaestiones (diss. inaug. uniuers. Halens.), cuius haec uerba p. 18 ex re erit apponere hic: Prudens autem Herodoti iudicium non minus eo demonstratur, quod quotienscunque duos uel plures narrationes uel sententias traditas inuenit, non unam aut alteram solam commemorauit sed utramque in medium protulit. Etenim aut utriusque sententiae mentionem facit neque tamen alteram esse ueram profiteri conatur sed legentibus rem diiudicandam committit ueluti . . . . aut addit quod ipse iudicet aut suae sententiae opponit ea quae alii de his rebus censuerint.

qua causa uidetur repudiasse; quae autem uulgata iam fuisse antequam Herodotus illa conscripsit conclusimus. uesp. uu. 1446 sq. ita tetigit, ut Aesopi omne quod Delphis subiit fatum perbene et iam diu notum fuisse liceat arbitrari. Cum uero ex uesp. 1401 sqq. ne seruiisse quidem Aesopum luculenter appareat neque in hac re aut Socrates (apud Platonem) aut Aristoteles (l. l.) fidem habuisse uideantur Herodoto, nostram penitus stabiliri uideo sententiam Herodotum de Aesopo attulisse partim notissima partim nouissima. Ac profecto duplici horum testimoniorum generi respondebit fides: quam ut singulorum experiamur nunc postulat ratio. In quo eum ordinem sequar, ut prius de iis agatur rebus quas uulgo cognitas iam fuisse ante editam Herodoti narrationem statuimus.

Ac primum λογοποιόν Herodotus Aesopum dicit. Quo nomine ter apud illum (II 143, V 36, 125) Hecataeum Milesium appellari constat. Sed Aesopum in logographis ecquis habebit? Quare quod λογοποιόν Aesopum nihilo secius ille nuncupauit, nec uocabuli satis rari sibi constare uidetur usus. interpretandi artificio quodam id nuperrime excusare studuit Lipsius quaestionum logographic. p. 4. Quo quamuis specioso et idoneo hic opus fuisse equidem negem. Herodotus enim non primus inter omnes nec suum ipsius iudicium secutus nomen hoc induit Aesopo, id quod uir ille doctissimus uidetur esse opinatus, sed aliunde acceptum et uulgatum iam per ora salua constantiae suae laude repetiuit. Itaque non quomodo nobis hoc loco uocis λογοποιός conciliandus sit sensus cum ceteris locis Herodoteis, sed quomodo id quasi sollemne Aesopi cognomen omnes acceperint Graeci praesertim ii qui proximi erant aetate Herodoto est uidendum. Hic testem grauissimum edere licet sapientissimum Graecorum Socratem. Cuius e uerbis Plat. Phaed. 60 C totam antiquitatem Herodoteam uocem

λογοποιόν pro fabularum inuentore, quem ipsa natura eius indicat, accepisse apparet. Neque expertem huius sententiae Aristophanem putaueris, qui adeo captus est Aesopi ut fabularum unici inuentoris amore et studio, ut Aesopi esse fabulam au. 651 diceret, quam ab Archilocho nobilitatam fortasse ipse sciebat. Denique qua ratione uulgo nomen *λογοποιός* acceperint ueteres Graeci apertis profitetur Suidas[1]) uerbis s. u. *Αἴσωπος* his *ἐγένετο δὲ λογοποιός, ὅ ἐστιν εὑρέτης λόγων καὶ ἀποκριμάτων* repressis nimirum et repudiatis dedita opera recentium conatibus Graecorum doctorum qualibet uocis huius uim acutula interpretatione moderandi. Nam secus atque ueterum unusquisque accepisse illud nomen primus uidetur Aristoteles, ut quiduis ad calculos diligenter uocauit. Traditur enim schol. ad Aristoph. au. 471 *Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Σαμίων πολιτείᾳ εἰπόντα φησὶν αὐτὸν* (scil. Aesopum) *μῦθον ηὐδοκιμηκέναι.* Inueteratam tamen illam iam Herodoti temporibus de Aesopo ut fabularum inuentore opinionem non modo ueritati sed ueri similitudini repugnare aperte dicere primi quantum scimus ausi sunt rhetores priorum post Chr. n. saeculorum Graeci. Theon[2]) quidem impugnata quae ferebatur de Aesopo sententia *μύθους Αἰσωπείους* dictos esse ideo censet, quod *κατακόρως καὶ δεξιῶς* fabulas ille usurpauerit.

[1]) Etiam Babrium, cum ab Aesopo primo fabularum genus Graecis traditum esse diceret pr. II 4 sq., ad sensum uocis *λογοποιός* simplicissimum et usque ad illud tempus uulgatissimum respexisse perspicuum est. Ceterum Suidae in talibus rebus fontem esse Hesychium notum est, qui quidem ipse ex parte usus est Hermippo Berytio auctore operis *τῶν διαπρεψάντων ἐν παιδείᾳ δούλων*. Cf. C. Wachsmuthii de fontibus ex quibus Suidas in script. graec. uitis hauserit (Symb. phil. Bonn. p. 139 sqq.).

[2]) progymn. c. III (rh. Gr. II. p. 173 Walz.): *Αἰσώπειοι δὲ ὀνομάζονται ὡς εἴπαν, οὐχ ὅτι Αἴσωπος πρῶτος εὑρετὴς τῶν μύθων ἐγένετο, ἀλλ' ὅτι Αἴσωπος αὐτοῖς μᾶλλον κατακόρως καὶ δεξιῶς ἐχρήσατο.*

Hermogenes[1], quod πρὸς τὰς συνουσίας adhibuerit. Aphthonius[2], quod optime narrauerit. Diogenianus[3], quod maxime uersatus fuerit in hoc genere. Quicunque igitur priorum nolebant emendare errorem, eos in diuersas uidesne omnes abire sententias? Attamen harum sententiarum unam alteramue cupide amplexi sunt et exaggerarunt recentiorum uirorum plurimi. Immo ipso rhetorum illorum studio, quo Aesopi laudem nobis magis probare contenderunt, antea inuentorem illum uulgo omnibus habitum esse fabularum optime confirmatur, et abstinendum in Herodoti cognomine λογοποιός interpretando argutiis satis puto esse demonstratum.

Porro saepenumero oraculi iussu inuitatum esse a Delphis eum qui poenas repeteret Aesopei sanguinis ab Herodoto accipimus. Interemtum igitur Aesopum impie ab illis hinc sequitur. In his nihil haerendum. Concinunt enim cum Aristophanis uesp. 1446. Atque is quidem causam addit, quod φιάλην ἐπῃτιῶντο κλέψαι τοῦ θεοῦ. Copiosius uero narrationem illam exhibet schol. ad h. l. Neque tamen ab Herodoto nec ab Aristophane qua illud oraculum occasione ediderit Pythia edocemur. Hic succurrit Plutarchus, qui de sera num. uind. p. 556 F sq. sterilitate terrae morbisque obortis Pythiam illud praecepisse tradit. Ne id quidem, undeunde id hausit Plu-

[1]) progymn. c. I (rh. Gr. I. p. 10 W.): πάντες δὲ κοινῶς Αἰσώπειοι λέγονται, διότι τοῖς μύθοις Αἴσωπος ἐχρήσατο πρὸς τὰς συνουσίας.

[2]) progymn. c. I (rh. Gr. I p. 59 W.): νικᾷ δὲ μᾶλλον Αἰσώπειος λέγεσθαι τῷ τὸν Αἴσωπον ἄριστα πάντων συγγράψαι τοὺς μύθους.

[3]) praef. paroem. I p. 179 (Leutsch-Schneidew.): Αἰσώπειος μὲν γὰρ λέγεται ὁ [λόγος] ἀπὸ ἀνδρὸς Αἰσώπου πλεονάσαντος ἐν τῷ τοιούτῳ εἴδει τοῦ μύθου, οὐχ εὑρόντος, ὡς ἐν ποιητικῇ μέτρον Ἀρχ βούλειον ἢ καὶ Ἀριστοφάνειον, ἃ λέγεται οὐχ εὑρημένα ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν, ἀλλὰ παρὰ τούτοις κατακορέστερον ἐν τῇ ποιήσει τεταγμένα.

tarchus [1], qui praesertim optima esset de rebus Delphicis imbutus cognitione, ulli dubitationi potest esse obnoxium. Atque omnia quae modo attulimus, quoniam alterum ex altero sequitur, iam Herodoti Aristophanisque temporibus Graecis propter breuitatem qua totam rem uterque tetigit peruulgata fuisse persuasum habeo. Et iterum ac saepius a Delphis cum pronuntiatum esset ut poenam illam acciperet quem oportuit, nonne ea omnia simul peruasisse Graeciam consentaneum est? Atque etiam quo fere tempore illas terrae Delphicae miserias secutum sit Apollinis oraculum atque passim peruulgatum coniectura licet assequi. Nam quoniam Aesopi nomen sub ipsam Herodoti aetatem primum innotuisse supra p. 49 demonstratum est, ingruisse morborum caelique iniquitatem Delphis non multum ante id tempus h. e. fere medio a. Chr. n. saeculo quinto ueri simile est. Neque enim diu ipsos Delphos inopia magna pressos deum consulere cunctatos esse eiusque iussum ut statim explerent et frequenti per breuissimum temporis spatium promulgatione facta poenam quam celerrime soluerent nihil eos antiquius habuisse existimandum est. At interfectum tum demum Aesopum caue credas.

Itaque a Delphico oraculo qua erat scientia et auctoritate primum in omnes Graeciae partes cognitionem manasse Aesopi *τοῦ λογοποιοῦ* probabile est. Utque *λογοποιόν* illi primum a Delphis inditum esse nomen ueri simile est, ita nomen eius *Αἴσωπον*, quippe qui alienigena certo fuerit atque adeo ex remotioris Asiae tenebris illuc uenisse uideatur, facile ad Graeci sermonis sonum conformatum esse uel ab ipso uel a Delphis licet arbitrari. Huc facit etiam singularis nominis species quam uere Graecam prodere indolem quidam negarunt. Quare habeant uiri etymologicae artis linguarumque

[1]) Breuissime idem causarum nexus significatus iam est ab Heraclide Pont. polit. 22.

orientalium periti labores suos, quibus in nominis *Αἰσω-πος* certatim inquirere contendunt compositionem significationem originem [1]. in quibus tamen ut in incertissima omnium re nobis nihil morandum uidetur.

Atque Aesopus quidam, quem aliquando Delphos profectum sacerdotibus nescio quo pacto [2]) molestum uisum esse credibile est, quin subdito clam eius sarcinis sacro aliquo uase ab ipsis ficta causa deiectus sit de ea rupe de qua sacrilegos fas erat detrudi [3]) quid opus est dubitatione? At Welckerus l. l. p. 232 hanc de Aesopo narrationem fide esse dignam negat, propterea quod iam quattuor alios eiusdem insimulatos criminis, qui omnes aetate illum superarent, simileque atque illum perpessos esse fama sit, ad quorum exempla hanc ait de Aesopo narrationem esse fictam. Sed uir ille doctissimus, cum Aesopum aetate illorum esse nouissimum putaret, omisit pro certo prius statuere, qua reuera Aesopus fuisse existimandus sit, uulgarem eamque incertam amplexus Aesopeae aetatis computationem. At uoluisse ait oraculum in hac Aesopi persona, quam nunquam ille fuisse ponit, exemplum edere quod omnes imitarentur, quo exemplo, si quis iniuria hominem occidisset, eum fas esse poenam ultro propinquis dare debitam numenque placare demonstraretur. Sed talem cum oraculo laudem

[1]) Cf. Welck. p. 254 sq., Wagener. p. 41, Landsberg. p. CXVI sq., Keller. p. 375.

[2]) Quod schol. ad Aristoph. uesp. 1446 adnotat illusos esse Delphos ab eo, quod *μὴ ἔχοιεν γῆν, ἀφ' ἧς ἐργαζόμενοι διατρέφοιντο, ἀλλὰ περιμένοιεν ἀπὸ τῶν θεοῦ θυμάτων διαζῆν*, id non magni facere optimum est. Cf. praeterea Heracl. Pont. fr. 22. Plut. l. l., Suid. s. u. *ἔωσε*.

[3]) Eius in nomine quod Plutarchus a Suida dissentire uidetur, cum hic s. u. s. u. *Φαιδριάς* et *Αἴσωπος* utrimque *ἀπὸ τῶν Φαιδριάδων καλουμένων πετρῶν* habeat, ille Hyampeam uocatam eam esse tradit, hanc discrepantiam esse nullam iam Cuperus (obseru. IV 4 p. 400 recte ostendit, cuius argumentationem uideas apud Grauertum retractatam p. 58 sq.

tribuere ille studuit, nonne maius turpiusque simul imputauit flagitium, quod ab eius qua etiam tum florebat sanctitatis et innocentiae ualde abhorret fama? An etiam ipsis Graecis Aesopum istum nunquam fuisse, id quod male sibi persuasit Welckerus, cognitum fuit, ut iniuriae illius infamia reuera liberum maneret Apollinis oraculum? Tota autem antiquitate complures esse sacrilegii talis siue iure siue iniuria accusatos et damnatos et tanquam uulgare illud fuisse crimen et frequens, quid mirum est in illa frequentia qua oracula etiam antiquissimis temporibus stipata esse constat hominum cuiuslibet generis?

Enimuero tempore quo Aesopus Delphis interierit his ipsis testimoniis quae uera esse non negauimus certum nihil inest indicium. Itaque coniecturis relinquitur locus. Iam ipsis ueteribus Graecis ne curiosius inquirerent in oraculi illius causam obstabat nimirum religio: nobis uero missa ista quaerendum esse censeo, qua causa potissimum saeculo medio quinto illud oraculum ediderit Pythia, quisque fuerit Delphis rerum nexus unde tale oraculum oriri posset. Atque quo tempore fabularum paene immoderatum fuisse intelleximus usum, ut fortasse haud paucos inuaderet desiderium earum de origine aut inuentore certius quid comperiendi: eo ipso ut illud oraculum ederetur tempore non casu esse factum uel adeo instinctu illo diuino atque afflatu, sed Delphicorum sacerdotum cura et consilio perspicuum est. Nimirum ut de aliorum hominum qui ingenio aliis praestarent fama et auctoritate excitanda aut peruulganda illi bene meriti sunt[1], ita fabularum tanquam principem ac patrem hominem esse nomine Aesopum,

---

[1]) Perlustra oraculorum indicem quem confecit Hendessius in diss. Hal. IV. Afferri licet praeterea quae de Terpandro narrantur a Schneidewino ad Heracl. pol. p. 51, de Archilocho a Piccolomini Herm. XVIII 267 sqq., de citharoeda quodam Sybaritico ab Aeliano u. h. III 43, de Thaleta a Plutarcho de mus. 42.

qui Delphis olim fortasse fabulas narrauit et iniuria ibidem interfectus est, tum multum interfuisse illorum edicere putem. Et tam gratum acceptumque fuisse Graecis hoc oraculum, ut quicquid fabularum suberat extemplo occupatum teneret Aesopi nomen uixdum notum Aristophonis uesp. 651 praeclarus est testis. Quoniam autem *λογοποιόν* i. e. fabularum inuentorem Aesopum iam in illo *θεοπροπίῳ* uocatum esse a Delphis arbitrari necesse est, siue fabulam de scarabaeo et aquila, ut Aristophanes uesp. 1448 tradit, siue alias narrauit, sat maturo tempore, cum fabulae Delphis non ita essent cognitae, ut indignus uideretur hoc cognomine, Delphos eum uenisse apparet. Atque tantum ab est ut breui tempore post iniuriam Delphorum in eum commissam Pythiam oraculum illud edidisse existimem aut peruersas eorum sequar ratiocinationes, qui ex Herodoti uerbis *Ἰάδμονος δὲ παιδὸς παῖς ἀνείλετο*[1]) Aesopi ueram aetatem computare studuerunt, ut ex maxime longinqua obliuione eius uiri hoc oraculo reuocatam esse memoriam putem qui Delphos olim fabularum tulit famam[2]).

---

[1]) Iis uerbis paene omnium mihi uidentur niti chronologicae de Aesopi aetate rationes. Heraclides quidem Pont. Sami eum commoratum Pherecydis Syrii temporibus i. e. Ol. 59 (544 a. Chr.). Suidas Ol. 40 (620) [?], mortuum tamen Ol. 54 (564) dicit. Diogenes Laert. Sami eum fuisse Ol. 52 (572) tradit. Item Eusebius (coll. Sync.) eum Ol. 54, 1 peremptum esse auctor est. Kellerus p. 376 Aesopi aetatem incidisse in primam de tribus saeculi sexti partibus sibi persuasit. Nihil noui attulerunt Grauertus p. 29 sqq. Welckerus l. l. p. 229 no. 2. Clinton fast. Hell. I p. 239. Suidae uerba *ὃς μεσοῦν ἐπι τῆς μ' ὀλυμπιάδος* nimirum mendosa Niebuhrius ita restituit, ut sublatis *ὃς μεσοῦν* illato *ἤκμασεν* Aesopum 40. Ol. floruisse euaderet testimonium. Cuius restituendi operam non magni fecerim, quippe qui summa libidine in ea sit uersatus. Ipsis traditis uerbis eundem elicere sensum nemo iure audeat.

[2]) Animi causa his peroratis rebus quam inepta explicandi ratione tentauerit ueterum traditam de Aesopo narrationem p. 62 Grauertus audiatur: „si ad tertium" inquit „usque genus sterilis fuisset Delphorum ager ipsique miseri! quinquaginta ad minimum

Unde autem uenerit ille qui antiquissimo quodam tempore Delphis iniuria interemptus erat nihil patet. Nec mirum. Sed tamen ex Asia minore eum uenisse et fabularum ipsarum uestigiis adducimur ut coniciamus et auctorum ueterum testimonio eorum, qui a Croeso eum uenisse et Phrygica[1]) natione ortum affirmant. Haec hactenus.

Sequitur alterum testimoniorum genus ab Herodoto ipso exploratorum. Ac seruum fuisse Sami Aesopum primus Herodotus auctor est. Hoc nimium confisi testimonio uiri docti eum Aesopum qui cuncta fabularum copia et fama est potitus, etiamsi praeterea nihil certi de Aesopo statui posse uideretur, seruum tamen fuisse Sami atque id certo saeculi sexti spatio fortiter affirmant. Versabatur in eadem opinione credula antiquitas ipsa. Sed fieri unquam num potuit ut quisquam seruus saeculo sexto Sami fabularum narratione tantopere excelleret, ut demum saeculo quinto Aesopus ille fieret omnibus extemplo pernotus et celebratus? Hoc iam supra refellendum nobis erat causis p. 48, quibus hic liceat plures adiungere.

annos cunctorum morborum calamitate afflicti essent, profecto ne unus quidem esset relictus in tantamque haec Delphorum miseria uenisset gloriam, ut in omnium ore esset uersata: et tamen tacent omnes." His breuiter dictis in eam praeceps abit sententiam, ut quod caput ac summum omnium quae de fabulatore narrantur esse modo dixit, ipsa esse ficta non neget. Nimirum tacent omnes. De qua enim re dicerent? Undenam ille scit statim post Aesopi mortem sterilitatem morbosque Delphis orta esse? Nonne ueri multo est similius Apollinem diu expertum esse, si ipsi ad sanam mentem redirent Delphi poenamque ultro darent? Et quid opus erat deum consulere, si calamitatibus extemplo post Aesopi necem obortis ipsi intellegere poterant, qua potissimum re nouissimo tempore eius inflammassent iram?

[1]) Nomen *Αἴσωπον* Phrygicam prae se ferre speciem Kellerus p. 375 studet ostendere ob eamque causam ipsum Phrygem habendum decreuit. De hac re fusius infra agetur.

Quoniam iam septimo saeculo fabulas Sami Pari aliisque ut uidetur in Ionum insulis maxima fuisse in aestimatione constat, a seruunculo in ergastulo fortasse incluso quid tandem effici poterat. quo saeculo post antiquam fabularum laudem auctoritatemque ita iste augeret, ut *λογοποιός* unus instar omnium laudaretur? Neque enim exiguam aut mediocrem fuisse eius facultatem licet opinari. Frugi uero si aliquid peperisset ille seruus seu inueniendis seu colligendis seu apte adhibendis fabulis, eo minus futurum fuisse censendum est ut tantopere et tamdiu in insula Samo et in domo Iadmonis eius lateret uirtus, ut post tres demum hominum aetates Delphico opus esset oraculo, quod minori Iadmoni persuaderet inter aui sui familiam fuisse Aesopum *τὸν λογοποιόν*. Etiam alia quae seruili Aesopi statui repugnent Wagenerus p. 31 affert.

At enim manu missum esse Aesopum ab Iadmone Heraclides Ponticus polit. 10, 5 testis est: *Αἴσωπος δὲ ὁ λογοποιὸς εὐδοκίμει τότε. ἦν δὲ Θρᾷξ τὸ γένος, ἠλευθερώθη δὲ ὑπὸ Ἴδμονος τοῦ κωφοῦ, ἐγένετο δὲ πρῶτον Ξάνθου δοῦλος.* Libertate donatum omnia ea gessisse eum putes quae in seruum parum conueniant. Hanc memoriam ad Aristotelem refert Rose Arist. pseudep. p. 521. ipsam tamen indignam esse ego arbitror fide. Nam ortum esse illud testimonium eo consilio suspicor, ut, quod in Herodoti narratione offensioni sane est, probabilius redderetur. Atqui totus pendet ex Herodoti auctoritate. Nam Thracem fuisse Aesopum eo collectum mihi uidetur quod Rhodopidem Herodotus Thraessam fuisse dicit. De illius enim patria cum Herodotus ipse diligentissimus scriptor, cuius multum certo intererat quis fuerit ille Aesopus ostendere, nihil potuerit indicare, a posterioribus quid potest certi exspectari? Et quod apud hunc *Ἰάδμων* apud Heraclidem *Ἴδμων* legitur, has diuersas appellandi rationes optime illustrauit et inter se conciliauit Grauertus p. 60 sq. Eiusdem sententia ibidem pro-

lata legendum apud Heraclidem rectius *σοφοῦ* quam *κοφοῦ* perquam probabilis mihi uidetur esse et ortum esse hoc suspicor ex scriptorum quorundam studio Aesopi uitam mirabilibus replendi rebus[1]). Xanthi uero mentio, quem Xanthem uocat Herodotus, cur iniecta sit narrationi Heraclidis, causam censeo non aliam fuisse quam ut qui cum Rhodopide Sami habuit rem, eiusdem etiam coniungatur nomen cum Aesopo. Nihil igitur auctoritatis tribuendum huius ab Herodoteo male discrepanti testimonio nemo negabit[2]). Ceterum hoc recepto si quis tamen mederi se posse sperauerit difficultatibus istis, non dirimi eas sed augeri iam Wagenerus p. 31 sq. recte monuit.

Nunc uero contra eos disputandum est qui quod seruus fuisse Aesopus dicitur non modo non mirum ac graue putent sed conuenire Aesopi nostri laudibus et fabularum ipsarum naturae optime respondere opinentur. Apud Phaedrum legitur (3 prol. u. 33 sqq.):

> nunc fabularum cur sit inuentum genus
> breui docebo. Servitus obnoxia,
> quia quae uolebat non audebat dicere,
> affectus proprios in fabellas transtulit.
> Aesopi illius semita feci uiam.

In eandem sententiam disserit Iulianus VII 207 C, quibuscum conferenda praeterea sunt schol. Aristoph. uesp. 1208 et Suid. s. u. *Αἴσωπος* (*ὁ τῶν μύθων ποιητής, Σάμιος δοῦλος . . . . . ἀναγκαζόμενος*). Sed omnes quas attuli ueterum sententias eo tempore natas esse

[1]) Editorum recentiores quare pro *σοφοῦ* maluerint recipere *κωφοῦ* equidem non uideo. An mirum uidetur Iadmonem ipsum a posterioribus hic illic appellatum esse *σοφός*, quippe qui seruo ob ingenii eius uirtutem libertatem donasse sit habitus? Cum Welckero (uid. eius p. 235 no. 17) Iadmonem propter illud *σοφοῦ* in philosophis ecquis habebit?

[2]) Heraclidis testimonium ad uerbum repetiuit schol. ad Aristoph. au. 471.

tenendum est, quo fabularum condicionem auctoritatemque penitus migrasse constet; quas in fabularum genus, ut horum uirorum erat aetate, bene quadrare ipse largior. Neque fabularum magnopere commutatam speciem reputantibus succensendum nobis est Plutarcho, qui in conuiuio septem sapientium Aesopum tantum passus est assidere ἐπὶ δίφρου τινὸς χαμαιζήλου (p. 150 A)[1]).

Iam Welckerus, etsi Aesopum si unquam fuit seruum fuisse non posse concessit, seruus tamen quod nihilo secius fuisse diserte traditur, inde certissimum grauissimumque argumentum repetiuit ad euincendum huius personam qui nunquam fuit exstitisse tantum quasi antiquissimarum fabularum imaginem ad ipsarum condicionem speciemque apte conformatam. Id iure fecisse eum nego. Etenim quod l. l. p. 244 disserit fabulis uerum tecte et iocando tanquam scurriliter dici, ut simul cum ueritate gaudium capiat ex iis unusquisque insipiens eoque decipiatur mens: fabularum eam spectauit condicionem, in quam aliquanto post delapsae sunt, consilioque quod tota disputatione secutus est magis indulsit quam uerum sincerumque de priscae fabulae indole et auctoritate iudicium studuit adipisci. Nam supra iam ostendimus homines nobilissimo loco natos identidem iis usos esse neque quicquam in iis esse ridiculi, quo gauderent simul qui audiebant, sed omnes quae ex illa uetustate seruatae sunt, serenitatis esse et gravitatis plenas. Neque eidem assentiendum est seruili tanquam timore nasci fabulas ad easque confugere eum solere qui propter timorem uerum aperte dicere non audeat.

---

[1]) Plutarchum esse conuiuii auctorem pace uirorum doctorum si qui secus sentiant ponam in hac dissertatione. Ceterum auctoris huius non paruula laus est quod ad Aesopum suum nonnunquam reprehendentis defendentisque ibi detulit partes quasi fabularum antiquissimarum callens condicionem. coll. ib. p. 152 C καὶ ὁ Αἴσωπος, οἷον ἐλεγκτικός, κτλ et ib. p. 154 B ὁ δὲ Αἴσωπος οἷον ἀμυνόμενος ὑπὲρ αὐτῆς (scil. Eumetidis) κτλ.

Verum non solam fabulam Hesiodus contra principes iniustos protulit sed alia quibus praeterea eorum aperte incusauit improbitatem et auaritiam acerbiora infestioraque. Quid? Stesichorus, qui, cum praestaret consilio et prudentia ciuibus, fabulae narratione optime eos docere se posse existimabat, quid necesse esset fieri, non hanc solam narrauit et alia propter timorem tyranni dicere intermisit, sed *τἆλλα διαλεχθεὶς εἶπεν αὐτοῖς λόγον*. In fabulis denique Archilochi plus cognoueris irae et minarum quam timoris et seruilis obsequii. Itaque quamquam fieri nonnunquam potuit ut quis inferior opibus fabula se defenderet contra potentiorem et praecipue in ciuitate quae tyranni aut singulorum regebatur arbitrio earum auxilio uerum tecte aliquando diceretur: tamen a seruorum ordine, quibus ne uerbis quidem sui defendendi tum erat licentia, fabularum imaginem repetere perfectissimam uel etiam inuentorem ficticium, quo nemo perfectior mente cogitari posset, ueterum Graecorum ecquis in animum potuit inducere?

Ipsa igitur re cum prohibeamur Herodoto seruum fuisse Aesopum asseueranti fidem habere, tum, si quaeritur, quibus ille et unde sumptis id probauerit argumentis, ad nihilum reuocari illius in hac re auctoritatem clarescet. De qua nihil se ipsum uoluisse praestare eo elucet, quod omissis aliis causis probabilibus ad oraculi statim auctoritatem, quod iuniori Iadmoni poenam soluit, confugit. Quod autem uerbis inducitur *ὡς διέδεξε τῇδε οὐκ ἥκιστα* argumentum id non tanquam cumulum accedere ueritatis ad alias praemissas causas, sed suspicionem mouere sane maximam aliarum earumque probabiliorum inopem fuisse scriptorem iam Welckerus p. 239 iure sensit. Iam quibusnam potissimum causis exspectandum erat Herodotum usurum fuisse? Nimirum iis quibus patefieret seruum illum maioris Iadmonis profectum esse aliquando Delphos neque rediisse

eodem tempore quo caedem istam Delphis factam esse constaret, eundemque iam tum cum Sami seruiret ualuisse aliquantum fabulis narrandis aut inueniendis. Nunc autem quam leue et futtile sit eius argumentum uideamus. Verba enim *ἄλλος μὲν οὐδεὶς ἐφάνη* sequentibus *Ἰάδμονος δὲ παιδὸς π. ἀ. Ἰ. ἀ.* expresse opposita non meram esse sententiae amplificationem in hac duntaxat constricta narratione primum statuendum est. Quid alium exspectare aut omnipo de alio cogitare opus erat, si Aesopum, quem inter Iadmonis maioris fuisse seruos minor probauerat, Delphorum sacerdotes reuera eum fuisse extemplo sibi persuasissent, qui antiquissimo quodam tempore una cum sanguine fabularum illic primum reliquisse famam tradebatur? Cuius cum propinquus aut proles, qui idoneis allatis testibus iure acciperet poenam, frustra aliquamdiu exspectatus esset: numini ut tamen satisfacerent ipsique quam primum liberarentur miseriis, datam demum esse Iadmoni minori illam, cui prospere contigerat, ut excitatus frequenti oraculi renuntiatione seruum quendam auitum uocatum esse Aesopum comperiret. Accepta igitur demum pecunia fuisse aui sui seruum Aesopum *τὸν λογοποιόν*, cuius desiderabat oraculum propinquos adipisci, ipse Iadmon credere coepit.

At enim quod nemo Delphis comparuit qui cum interempto propinquitate coniungebatur, nonne ne illum quidem unquam fuisse suspicemur? Minime. Nam quia illum ex remota aliqua Asiae minoris regione Delphos olim uenisse supra indicatum est, facillime fieri potuisse concedes, ut, etiamsi quis domi reliquus erat ex eius stirpe oriundus, ab hoc ignoraretur Delphorum oraculum. Nec uero quod unus tantum Iadmonis opera inuentus est, qui, quamquam non is habendus erat qui Delphis interiit, commune tamen cum eo habebat nomen, mirum esse potest reputanti rarissimum fuisse tota antiquitate hoc nomen. Quod nos nisi in hoc seruo

et illo fabulatore nusquam sane traditum inuenimus; nomine autem *Αἴσωπος* dictum esse artificem doni in Sigeo positi in titulo C. I. Gr. I 8 iam Bergkius hist. litt. I 373 animaduertit.

Unde hauserit Herodotus ea quae noua de Aesopo fabularum inuentore proposuit haud difficile est cognitu. Eum Sami commoratum esse notissimum est; quare ab ipso minore Iadmone audiuisse illa prona est coniectura. Temporis ratione quam supra p. 58 statuimus poscitur ut breuissimo tempore credamus ante Herodoti illuc aduentum pecuniam Iadmoni a Delphis solutam esse. Nouitatem rei illum cupide arripuisse et haud ita diligenter perpensa ueritate historiae libris prima quae ei oblata erat occasione intulisse consentaneum est.

Cuius de Aesopo fabulatore Iadmonis seruulo narratio ut ab aequalibus et eis qui proxime eum sequebantur minus probata et recepta atque adeo repudiata esse uidetur, ita apud eos qui posterioribus saeculis de Aesopo aliquid narraturi erant, plurimum ualuisse constat. Effecit id altera ex parte ipsa eius auctoritas. Altera, etsi tempus quo Aesopus Sami floruisse et condicio qua usus illic esse narrabatur accuratius deliberanti nonnemini uidebatur excedere fidem, Sami ipsius insulae natura situs incolae Graecorum iuuabant credulitatem. Etenim in insula Samo, quo iam antiquissimis temporibus negotiatorum magnam multitudinem, siue Asiae minoris oram legebant siue ex interiore Asiae profecti Maeandri permensi uallem cursum trans Aegaeum mare dirigebant, commeare constat esse solitam, una cum peregrina merce etiam uariam earum rerum copiam confluxisse liquet quas hominum ingenia inuenerant cognitu audituque iucundas et utiles. Et Samios ipsos quoque maturrime negotiandi causa omnes quas poterant insulas et oras propinquas remotas nauibus adiisse notum est, unde quaecumque ad politiorem uitae cultum pertinere cognossent in patriam secum tulisse

existimandi sunt. Quae Samiorum negotia tyrannorum a quibus regebantur opibus et studiis iuuabantur. Iam cum apud Aelianum h. a. 17. 28 scriptum uideamus *Εὐφορίων δὲ ἐν τοῖς ὑπομνήμασι λέγει τὴν Σάμον ἐν τοῖς παλαιτάτοις χρόνοις ἐρήμην γενέθαι· φανῆναι γὰρ ἐν αὐτῇ θηρία μεγέθει μὲν μέγιστα, ἄγρια δέ,* quibus uerbis cur fidem omnem abrogemus causa non est. Samios antiquissimis temporibus multum in animalium uersatos esse contemplatione[1] atque. ubi primum apud eos fabularum quidpiam innotuit. maiore in illas arsisse admiratione et studio maturiusque illas in frequentem ac cotidianum usum ibi abiisse quam in ulla fortasse alia Graecorum ciuitate elucet. Et quonam saepius et prius Samii ex insula sua nauibus transiisse putandi sunt quam in loca fertilia Maeandri et qui huic proximus est Caystri. unde aditum patuisse non solum mercibus in Graecas insulas et regiones sed etiam fabulis ex interiore Asia priore capite demonstratum est? Ac profecto commercio omnium antiquissimo coniunctam fuisse Samum cum hac duntaxat Asiae ora confirmari uideo opinione incolarum antiquitus tradita. qua Asio auctore, quo utitur Paus. VII 4. 2. Ancaeum priscum Lelegum regem ex Samia Maeandri filia quattuor filios, inter quos Samum, dicitur genuisse. Accedit quod nomina *Μαίανδρος* et *Μαιάνδριος* etiam Polycrati aetate grata fuerunt Samiis[2]). Anaea autem celebris erat Samiorum colonia in illa ora. eamque non multo post deductam quam ipsa in Samo insula Iones consederant inde concluditur quod eodem tempore illam constitutam esse traditur quo Samothrace primum a Samiis adibatur. Porro quod apud

[1]) Animalia etiam posterioribus temporibus non nullo numero apud Samios fuisse ex nummis eorum satis antiquis intellegas, quibus pauonis leonis tauri effigies impressas fuisse narrat Panofka „res Samiorum“ p. 18. Praeterea cf. Ael. h. a. XVII 20, Heracl. polit. 15, 5.

[2]) cf. Panofka l. l. p. 43.

Heraclidem polit. 2, 3 legitur Lycurgum Samo primum Homeri carmina transtulisse in Peloponnesum, id etsi falsum esse constat declarat tamen artis litterarumque laude ceteris Graeciae civitatibus aliquando praestitisse Samum. Denique quod Samius fuisse Pythagoras in eaque insula tanquam initia illa exstitisse dicuntur doctrinae, qua animos hominum post mortem ad animalium corpora transire praecipiebatur, id uel alicuius hic esse momenti commemorem [1]). Quae cum ita sint, Iadmoni Samio quod poenam dare sacerdotes non dubitauerunt mirum non est nec magis mirandum quod Herodotus Graecis feliciter persuasit Aesopum fabulatorem seruum fuisse Samii Iadmonis maioris.

Quoniam nihil relictum nobis uidetur quod ad Herodoti de Aesopo narrationem explicandam aestimandamque pertineat, paucis nunc quae ex testimonio hoc omnium grauissimo euicimus comprendamus. Alius fuit Aesopus *ὁ λογοποιός*, alius Aesopus qui Iadmonis Samii erat seruus. Atque antiquissimo quodam tempore homo quem Graece uocabant *Αἴσωπος* ex Asia interiore Delphos peruectus fabularum narratione, quae nouae et inauditae illis tunc erant, admirationem mouit, sacerdotum tamen nescio quo pacto inuidiam sibi conflauit et ficto illo sacrilegii crimine damnatus et e medio sublatus est. Postea res obliuioni data. Ingruit saeculo ineunte quinto Delphis morbus ac terrae sterilitas. Iam optime Apollinem, quem iratum credebant, artium litterarumque custodem sacerdotes placari posse existimabant, si fabularum quae maxime tum frequentissimo Athenis et alibi usu florebant innotesceret quidam inuentor. Editum illud oraculum; quo et turpis facinoris memoria renata est nondum expiati, propter quod deum succensere facile credi poterat, et fabulis uulgiuagis

[1]) a Suida, ut Aesopi aetatem indicaret, hunc potissimum cum Pythagora componi (*τοῖς χρόνοις πρὸ Πυθαγόρου*) memorabile est.

certus daretur quasi princeps et auctor. Nimirum nihil exstitit quo de alienigenae diu interempti patria aut propinquis fabularumque ipsarum origine quicquam posset certius comperiri. Iadmon tamen Samius aui sui seruum fuisse nomine Aesopum allatis fortasse idoneis indiciis sacerdotibus comprobat. Incolarum illi inopia et fortasse minis pressi huic pecuniam soluunt; quo facto hic gloriose praedicare coepit Aesopum fabulatorem inter aui una cum Rhodopide fuisse seruos.

Quantis tenebris obducta Herodoti sit narratio quamque incerta et exigua de fabulae et Aesopi origine fuerit aequalium cognitio uides. Hinc quid a posterioribus debeat exspectari scriptoribus, qui quo magis absunt ab Aesopi et ipsius Herodoti aetate, eo magis a ueritate discessisse et hariolationibus se dedisse putandi sunt, nescio an nunc facile assequaris. Sed experiendum si quid ex posteriorum temporum scriptoribus de Aesopo fabularumque origine et condicione certum lucrari possimus testimonium ceteraque ad suum fidei reuocare modum. Quibus omnibus plus iusto tribuerunt fidei ac ponderis uiri docti atque adeo hic illic iis sunt abusi. Quo factum est ut quae aliquoties moderata et sincera ut par erat cogitatione iam assecuti sunt sana atque certa illorum interiecta auctoritate statim ita perturbarent, ut omnia sicut antea hiarent ipsique totam quaestionem si non desperantes at certe paene nihil lucrati relinquerent.

Aristophanis au. uu. 471 sq. et ib. 651 et pac. 129 ita urgebat Landsbergerus l. l. p. CI sqq., ut adscitis Plat. Phaed. p. 60 C et 61 B iam illius aetate fabularum ab Aesopo collectarum librum Graecis suppetiuisse fortiter affirmaret. Sed antea Wagenerus, quem ille iniuria impugnauit, summo iure contrariam defenderat sententiam l. l. p. 12, cuius argumentorum copiam probabilium iam p. 43 nobis augere non alienum uidebatur.

Atque adeo ab ipso Aesopo saeculo ineunte sexto fabularum librum conscriptum esse Kellerus contendit. Verum ne quae supra nobis dicta sunt hic recoquam ex fabularum ipsarum hausta contemplatione: quod de ipso Aesopo tota adhuc disputatione comparatum nobis est iudicium, eo fundamentum prorsus euerti ac subduci quo illorum maxime nititur sententia quis non uidet? Ceterum nimis parui aestimatur ueterum Graecorum memoriae ars ab iis qui in tantulas res omnibusque frequenter auditas consumpsisse quemquam opinentur conscribendas operam et artem. — Sed Aristophanis illis locis quid fit? Relinquitur ut ea qua par est in comico uetere poeta interpretando moderatione usi admodum exaggeratam esse in his uersibus orationem et ridiculi causa protinus de iustis fabularum libris esse sermonem putemus ab illo confectis, qui fabularum inuentor per Delphorum oraculum Graecis breui ante innotuerat et tam gratis exceptus erat animis, ut uel Archilocheam *ἐν Αἰσώπου λόγοις* fuisse fabulam poetae iocando liceret expromere[1]).

Quod uero ad Socratis in Platonis Phaedone attinet uerba *καί μοι δοκεῖ ἔφη εἰ ἐνενόησεν αὐτὸ Αἴσωπος, μῦθον ἂν συνθεῖναι*, quae quam male Landsbergerus torqueat hic iuuat apponere „diese worte bezeugen offenbar wie sich eine solche fabel im Aesop nicht vorfinde“, et ad eiusdem uerba *οὓς προχείρους εἶχον καὶ ἠπιστάμην . . . οἷς πρώτοις ἐνέτυχον*: his, licet ipse sibi quas cognouerat fabulas in libellum rettulerit — quod ut credam multum abest — concludi tamen nequaquam debet aut Aesopum reliquisse fabularum librum aut tales in communem usum ab aliis esse confectos obstantibus tot tamque gravibus causis, quarum unaquaeque infringere possit hanc sententiam.

[1]) Cum Aristophanis uerbis *κοὐ πολυπράγμων Αἴσωπον πεπάτηκας* conferas prouerbium (Diogen. II, 95) *Ἀρχίλοχον πατεῖς*. Hic ecquis de Archilochi libris protinus cogitabit?

Posteriore demum tempore quam quae adhuc commemoraui de Aesopo Graecorum testimonia quaestio uidetur oborta esse inter eos, quae fuisset patria Aesopi. Hic nimirum nouum genus errorum posterioribus Graecis peperit ipsa ueterum male docta auctoritas. Nam commixtam esse illam quaestionem cum ea, qua gente quoue in oppido natus fuerit aut Iadmonis ille Samii seruus aut, qui ab aliis habebatur fuisse, Croesi regis ille scurra uel legatus consentaneum est. Fuerunt etiam qui, cum de fabularum origine certius quid sibi assecuti esse uiderentur, simul Aesopi inuenisse patriam se contenderent. Atque ego sic statuo, cuius ne sacerdotum quidem Delphicorum multo priore tempore scientia et auctoritas indagare potuerant patriam aut gentem — nam Iadmonis seruum fuisse quem quaerebant multum afuisse ut ipsi crederent iam dictum est —, eius de origine quantillum ueri patefacere potuerint Aristotelis aliorumque etiam posteriorum diligentia et doctrina sponte apparere. De Heraclidis quidem ab Aristotele petito testimonio qui Thracem fuisse Aesopum narrat supra quaesitum est. In fragmento autem Babrii 147 ed. Lachm. seruato in Apollon. Soph. lexico Hom. s. u. *ἄειδε*, quod suo iure Babrio abiudicat Eberhardus[1]) Aesopus cur dicatur Sardianus perspicuum esse spero. Suidas s. u. *Αἴσωπος* diuersas profert opiniones has: *Αἴσωπος Σάμιος ἢ Σαρδιηνός*, nimirum quod hinc uel illinc Delphos profectus esse existimatur[2]). *Εὐγείτων δὲ Μεσημβριανὸν εἶπεν.* Hic cum inauditum appareat Eugeitonis nomen, ut magis hoc notum aliud expediret, nimium Grauertus p. 66 sqq. consumpsit operae. Neque enim qui ex notiore uoce *Εὐγείων* deprauari potuerit noua forma *Εὐγείτων*, ratio ulla est[3]). Et quia *Μεσημβρία* duorum erat

---

[1]) ed. Babrii p. 94.

[2]) item Agathias Samium eum appellat in epigr. anthol. Pal. XVI 332.

[3]) Eugaeonem logographum Samiorum antiquissimum (uid.

oppidorum Thraciae nomen satis notorum, alterutrum quis tum Graecus non intellexit qui id nomen audiuit, praesertim cum Thracem fuisse Aesopum iam Aristotelis temporibus uulgatam fuisse sciamus opinionem? Alioquin apud Suidam omnes quaecunque de Aesopi patria circumferebantur sententias ut uidetur commemorantem antiquissimam iure requireres, Aristotelis. Uel hac de causa uidesne ad irritum recidere Grauerti opinionem illud *Μεσημβριανόν* significare Aegyptium uel Aethiopem? Tertio loco Aesopum ***Κοτυαέα Φρύγα*** Suidas tradit esse habitum. Hanc uulgatissimam fuisse opinionem locorum multitudine quos Grauertus p. 65 collegit comprobatur[1]). Nec mirum. Seruos enim a Graecis saepissime quaesitos esse ex Asiae minoris gentibus Caribus Lydis Phrygibus notissimum est (cf. Grau. l. l.). Quorum qui remotissimos et maximos incolebant fines ab his Aesopi petitam esse originem nonne consentaneum est? Quamquam non ipsi Graeci et ne recentiorum quidem quisquam secum in hac re reputauerunt ante Cyri tempora, id quod animaduertit Grotius hist. Graec. II p. 167 uers. theod., nondum consueuisse Phryges aut Lydos Graeco seruire populo. Atqui hanc maxime ad ueritatem mihi accedere uidetur ueterum opinio propterea quod per Maeandri uallem, per quam solam fabularum ipsarum genus in Graeciam manasse demonstratum est, alio aditus patuit nusquam nisi in Phryges. Cotyaëi illum natum, quod teste Suida quidam excogitauerunt, cum ipsas causas ignoremus satis habeo in fine commemorauisse[2]).

Stiehlium Phil. VIII 398) ante Persarum bella fuisse unusquisque concedet. Neque igitur is de Aesopo Samio quicquam potuit scribere, quippe cuius nomen adfictamque laudem in ipsa insula innotuisse demum saec. medio quinto demonstratum nobis sit.

[1]) Quamquam oppidi ipsius nomen exstat praeterea apud unum Constantinum Porphyrog. de Themat. I 4 p. 14. Inter locos Grauerto huc collectos desidero prouerbium illud *μᾶλλον ὁ Φρύξ*.

[2]) Hoc testimonium ad Alexandrum Polyhistorem Cotyaien-

Babrii prooemium alterum quod speciosam primo obtutu redolere uidetur doctrinam et ut recte restitueretur et explicaretur iam multorum uirorum et doctorum sollicitauit mentes, si nostrum in hac quaestione spectatur consilium, nihili esse faciendum contendo. Nam quod ille dicit *μῦθος Σύρων παλαιόν ἐστιν εὕρεμ' ἀνθρώπων, οἵ πρίν ποτ' ἦσαν ἐπὶ Νίνου τε καὶ Βήλου* id uerum sit necne nihil hic refert anquirere quaestione solius de Graecae fabulae origine proposita relinquendumque esse diiudicandum si quisquam poterit uiris orientalium priscas linguas callentibus existimo. De ipso Aesopo et Graeca fabula quae ille uu. 4 et 5 prodidit paucissima sunt ac falsissima. Neque enim primum fuisse Aesopum qui fabulas in Graeciam transtulerit notum est neque, id quod neminem adhuc animaduertisse non miror, liberis Graecorum, si sana lectio et *παισίν*, unquam narrauisse eum fabulas ullo probatur indicio.

Suidae porro uerbis *ἔγραψε τὰ ἐν Δελφοῖς αὐτῷ συμβάντα ἐν βιβλίοις β'* quid faciendum sit iure omnes desperauere, nisi forte a Babrio, cuius studiosissimus erat, Suidas etiam in hoc imitando expressum esse Aesopum hariolatus est, quod duobus ille libris fabularum cunctarum complexus est copiam suam.

Iam quaestione hucusque perducta quod Aesopum aliquando Corinthiis fabulam narrasse disticho illo a Diog. Laert. Socrati tributo docemur aut Aristotele teste (met. II, 3) nautis narratiuncula quadam fabulae ualde dissimili bilem mouisse dicitur aut eodem auctore (rhet. II 20) *δημηγορῶν κρινομένου δημαγωγοῦ περὶ θανάτου* Samios ad misericordiam narrata fabula conuertisse traditur, ea uidelicet non multo pluris habenda esse concedes quam quod, qui fabulam referre aliquam noluerunt, eam incipere soliti sunt uerbis *Αἴσωπος ἔφη, εἶπεν*,

---


sem reuocandam fortasse esse haud inepte suspicatus est Kellerus p. 377.

φησὶν Αἴσωπος similibus[1]). Etiam in Italia fuisse Aesopum ab Hesychio s. u. *Συβαριτικοὶ λόγοι* perhibetur testimonium. Omittendum denique plane silentio puto non esse scholium ad Aristoph. uesp. 566 *Αἰσώπου τι γελοῖον· Αἴσωπος τραγῳδίας ἐγένετο ὑποκριτὴς γελοιώδης* [*Αἰσχύλου δὲ ἦν ὑποκριτής* V.], non quo quicquam ea ualere posse uerba putem ad dirimendas de Aesopo controuersias ac difficulates. sed quod scholiasta iis uidetur ostendisse a se impetrari non posse ut. quod tam frequenti apud Aristophanem et obtrectationis plena mentione obsoleuisset nomen, eo arbitraretur significari priscum illum et quodammodo sanctum fabularum principem et patrem. Et quod Aesopus Atheniensi refertur ab Aphthonio (uide de Furiae fab. Aes. ed. prolegg. VII) seruiisse Demarcho uel Timarcho, cui cognomen fuisset *Χαραξίας* uel *Κουρσίας*, id profectum esse ex comico aliquo poeta suspicari licere iam Welckerus p. 253 indicauit. — Et rediisse ad uitam Aesopum mortuum traditur a scholiasta ad au. 471 uesp. 1251 a Suida s. u. *Αἴσωπος* et *ἀναβιῶναι*, atque adeo pugnae ad Thermopylas interfuisse a Ptolemaeo Hephaestionis filio (6), Pataeci autem personam induisse a Plutarcho (Sol. 6) narratur. De hac re quae disseruerint Grauertus p. 38 sq. Welckerus p. 249 Kellerus p. 380, si cuiusquam intersit scire, ipsos adeat. Denique in prouerbium abiisse uocem *Αἰσώπειον αἷμα* siue *Αἰσώπου αἷμα* ex Zenob. 1, 47 et Diogen. 1, 46 discimus.

Atque etiam efficta est arte Aesopi imago. Phaedri lib. II epilogo et Agathiae epigrammate anth. Palat. XVI 332 ab Atheniensibus positam esse Aesopo statuam

[1]) e. g. Plut. Arat. 30, Dion. Chrys. LXXII, 14, Luc. Hermot. 84. Risum profecto mouent Dionis Chrys. or. XXXII p. 380, 45 uerba *ἔχω δὲ καὶ ἄλλον εἰπεῖν λόγον ἀνθρώπου Φρυγὸς ἀκούσας Αἰσώπου συγγενοῦς δεῦρο ἐπιδημήσαντος.* Magnum Apollinem qui Aesopi uidit propinquum!

a Lysippo celebri artifice elaboratam docetur. Cui rei cur fidem abrogemus causam nullam esse Grauertus p. 32 iure probauit. Illi autem statuae quicquam infuisse ridiculi aut deformitatis ex neutro debet concludi testimonio. Ac profecto Lysippi aetate si iam tantopere refrixisset fabularum genus, ut puerulorum et paedagogorum solorum oribus tererentur, aut tantummodo in iocis haberentur, et pristinae apud graues uiros in re publica uersantes auctoritatis magnam fecisset iacturam: nescio an minuscularum illarum inuentori historiolarum statuam magnam a tanto artifice faciendum Athenienses non fuissent curaturi. Etiam in Philostrati imaginibus (I 3, ed. Kays. II p. 298) pictura, si qua alia, iucunda atque lepida Aesopi describitur leniter ridentis et fixis in terram oculis sedentis inter fabulas personatas taeniis et coronis eum ornaturas. De qua egregie Welckerus egit Iacobsii Philostr. imag. ed. p. 221 sqq. illud quoque recte monens hunc Aesopum toto caelo diuersum esse a gibbero isto et prodigioso marmoreo Romae in Albania uilla asseruato. Sed neque hanc imaginem, in quam omnia translata esse Welckerus iure censet quae in apologis ipsis posita sunt — nimirum ea spectata illorum condicione qua Philostrati usi sunt temporibus — neque gibbam istam figuram Albaniam nedum Planudis narrationem de insigni Aesopi deformitate ullius pretii esse ad ueras Aesopi uitam condicionem auctoritatem cognoscendas quid opus est uerbis? Quo quae faciant nunc omnia nobis uidemur collegisse explicasse ad meritam reuocasse fidem.





Epimetrum.

Non solum de Aesopo sed de ipsarum fabularum origine quid Graecorum quidam senserint exstant documenta tenuissima copiosissima. Quae qua digna sint fide, restat ut diligenter perscrutemur. Id ut accuratissime prius faciamus quam quicquam ex iis concludamus ratio postulat. uirorum doctorum magna socordia, qua quicquid de fabulis ab ultimis paene Graecis prolatum est temere ac cupide arripuerunt, efflagitat.

Primus Aeschylus certum aliquid de fabularum origine indicauit qui in fr. Myrm. supra laudato fabulam narraturus his praefatur ὅ δ' ἐστὶ μύθων τῶν Λιβυστικῶν κλέος[1]) (Ddf.). Libycas appellat fabulas. Verum quoniam et Hesiodus et Archilochus multo prius in uniuersum dixerant fabulam αἶνον uel αἶνον ἀνθρώπων. Aeschyli haec uerba redolere mihi uidentur singulare poetae consilium. quo ille. quam difficile est credere rem. eam ex terra remota et miraculorum plena in Graeciam transiisse uult persuadere. De uera fabulae istius origine tragicum poetam quicquam his edocere uoluisse nego. Quid enim differt ab Aeschylo commemorata fabula ab Hesiodi, Archilochi, Simonidis omni-

[1]) Apud schol. Aphthon. quod legitur ὧδ' ἐστι μ. τ. Λιβυκῶν τὸ κλέος hic nihil refert.

busque quas Aesopeas nuncupauit posteritas? Tum autem, cum Aeschylus illa scriberet uerba, quoniam Aesopi fama nondum ab oraculo erat suscitata, aptius ille, etsi aquilarum praecipuam Libyam esse sedem nullo perhibetur testimonio, epitheton poterat addere fabulae quam hoc? Nam et illius temporibus et per plurimum post illum tempus Libyam omnium quae notae tum erant terrarum obscurissimam fuisse ideoque miraculorum plenam habitam ex iis quae abunde de Lybica terra narrat Herodotus[1]) et Aelianus h. a. VII 5[2]) et schol. ad Aristophanis au. 65[3]) et e prouerbio sane notissimo colligas *ἀεὶ Λιβύη φέρει τι καινόν*[4]). Neque igitur quicquam licere puto elici certius de Graecae fabulae origine ex uoce *Λιβυκοὶ λόγοι*, quae, ut fabulis iam diu cognitis et celebratis emersit, ita subitae Aesopi cessit auctoritati et unde orta sit perfacile apparet. Nec magis premenda sunt Aristotelis uerba rhet. II 20 *παραδείγματός ἐστιν ἓν μὲν εἶδος λόγοι οἷον οἱ Αἰσώπειοι καὶ Λιβυκοί*. Non enim diuersa his poni fabularum genera sed indici quae uulgo citantur Aesopeae eas aliquando uocatas a quibusdam esse Libycas — certissime ipsum Aeschylum hic ille respexit — Grauertus p. 80 sq. luculenter ostendit: qui adsentientem habet Wagenerum et quemlibet ut spero qui sapit, acerrime oppugnantem unum Kellerum, qui id agnoscere uetitus est falsa opinione quam antea sibi finxit de Graecorum fabulae origine et condicione. Sed de hoc paula infra.

---

[1]) cuius animaduertas praecipue II 32.

[2]) *ἡ γῆ ἡ Λίβυσσα πολλῶν καὶ ποικίλων θηρίων γόνιμός ἐστιν.*

[3]) *ὡς ἐν Λιβύῃ πολλῶν καὶ ἐκτραπέλων ὄντων ὀρνέων . . . ἢ ἐπεὶ πολύορνις ἡ Λιβύη.*

[4]) cf. Aristot. hist. an. VIII 28, 606b, l. 20. Niceph. Greg. II 507 B Paris., Athen. XIV 623 F. Plin. n. h. VIII 16; paroemiographi omnes mutatam prouerbii speciem et multo recentiorem uidentur praebere. Etiam in prouerbii consuetudinem uenit teste Diogen. V 11 *Λιβυκὸν θηρίον.*

Atque Aesopeas et Libycas quae dicebantur fabulas eiusdem esse generis id etiam summum est quod redundare possit ex Babrii prooemii secundi uu. 4—6. Plus uero lucri ex his capi omnino non licere contendo, nisi quis sententiam suam in maxima uerborum ambiguitate uult collocare. Neque enim unquam desituros certo scio esse criticos quae genuina fuerit horum lectionem inter se disceptare, et si forte aliquando tulerit casus secundus ut eius hominis. cuius nomen in huius libro exstat *λιβύσσης*, apud Diogenianum *Κύβισας*. apud Theonem *Κυβισσός*, apud anonymum (Walz. rhet. II 11) *Κυβίσσας*, apud editores uarie legitur. uera aliunde euadat nominis forma. id ecquid poterit interesse ad Graecorum fabularum antiquissimarum inuestigandam originem? Iam quid Kellerus? Ne uno quidem nixus exemplo aut testimonio sed mira sagacitate ex Libya fabularum certum quoddam genus atque ab Aesopiis prius in Graecia uulgatis plane alienum in Graeciam uenisse p. 354 fortiter profitetur. Et quemadmodum ab Aesopo iustam fabularum promulgatam esse collectionem ille censet. ita iustum etiam ex Libya fabularum librum in Graeciam migrasse ad credendum pronissimus est. Atque adeo quo tempore liber iste in Graeciam uenerit accuratius ausus est definire. Sed ipsius uerba audire ex re erit, ne quae magna locutus est aut uertendo aut excerpendo quasi inter digitos diffluant: Die frage. inquit p. 356. nach der zeit der einfuehrung des libystischen (!) buches aber ist erleichtert durch die wichtigkeit, welche die fabeln ueberhaupt als propaedeutisches mittel fuer das griechische leben besassen — id ut eleganter ita perperam esse dictum spero apparere — und durch den grossen einfluss, welchen gerade diese sammlung allen anzeichen nach in Griechenland ausgeuebt haben muss — uellem unum addidisset testimonium uir doctus —. So ist man wohl berechtigt. die ueberkunft der kyrenaeischen fabeln — sic ei placet promiscue di-

cere interdum pro Libycis — entweder gerade in die zeit oder kurz vor die zeit zu setzen, wo sie anfangen, in der griechischen litteratur eine rolle zu spielen, also in die zeit des Aeschylus und kurz vor die zeit des Aristophanes, mit andern worten in die erste haelfte des 5. jahrhunderts — quonam tandem tempore Libycae potissimum fabulae apud Graecos potiores coeperint aut mediocres agere partes frustra ego quidem quaesiui. An Aeschyli temporibus? nimirum quia is solus in tot milibus uersuum semel fabulam ceteris fabulis tum notis minime disparem Libycam uocauit —. Für die zeit des Aristophanes sprechen die fabeln vom mistkaefer und von der haubenlerche, die sich zuerst bei ihm finden und im libystischen fabelbuch (!) gestanden zu haben scheinen. Qui modo aliquantum esse discriminis aiebat inter Aesopeas et Libycas fabulas, idem historiolam de cassita illam, quae Aesopi fuisse expresse dicitur, ex Libyco isto libro fluxisse, ut fabulam omnino non esse hic taceam, quonam iure arbitratur? Scarabaei autem notitiam quod sub ipsa Aristophanis tempora Graecis innotuisse accuratiorem uidetur opinari, magnopere fallitur. Etenim iam diu Graecis nescio quo pacto cognita fuisse scarabaei non tantum nomen et naturam sed aliquarum eum partium fuisse uel poetarum in sermone facile potuit intellegere cum ex Aeschyli fr. 232 Df. et Sophoclis fr. 173 tum maxime ex Simonidis Am. fr. 13 B quod ad scarabaeum pertinere diserte confirmat schol. Hom. Il. XVIII, 407 hoc *ἐπεὶ καὶ Σιμωνίδης φησί· τὸ ζῷον κάκιστον κέκτηται βίον, περὶ τοῦ κανθάρου.* Prouerbium *κανθάρου σκιά* (Diogen. X 88) quando sit ortum nescitur.

Iuxta *Αἰσωπικὸν γέλοιον* laudat primus Aristophanes uesp. 1258 *Συβαριτικὸν γέλοιον*; cuius exemplum duplex sequitur sine dubio ib. uu. 1427 sqq. et 1435 sqq. Et in Epicharmi comoediis iam fuisse *Συβάρεια ἐπιφθέγματα* (nisi potius legendum *ἀποφθέγματα*) Suidas s. u. *Συβα-*

ριτικαῖς testatur. His uocibus idem fabularum genus atque Aesopearum significetur an paulo dissimile quaeramus. Ac si quis narratiunculas illas, quae ab Aristophane dicuntur Sybaritica ioca, appellare in animum induceret Aesopicas fabulas, nemo qui integro est iudicio et quam diuersas res Aesopeas fabulas uocare ipsum Graecum consuerit ingenium explorauit, moueret tumultum. Qui autem fieri potuerit si quis quaerat ut historiolae Aesopicis fabulis simillimae et aequales nuncuparentur Sybariticae: Sybaris propter incredibilem omnium rerum quae ad uitae iucunditatem spectant affluentiam incolarumque magnam rerum quam maturis et longis itineribus maritimis undique sibi comparauerant cognitionem[1]) maxima omnium coloniarum apud Graecos floruit auctoritate et fama. Ibi igitur si incolae salsis studebant dicteriis et ipsis fabulis assidue utebantur, totum earum rerum haud mediocriter illic celebratarum genus proprio etiam tum nomine expers a celebrata ipsa illa urbe interdum nomen traxisse nonne consentaneum est? Quod adeo apud Graecos tum potissimum, cum urbs tristi casu interiisset, ualuisse censendum est, ut ne Aesopi quidem saeculo medio quinto auctoritate uehementer exardescente totum obrueretur.

At enim discrimen esse inter Aesopeas et Sybariticas fabulas scholiasta docet ad au. 471 uerbis *τῶν δὲ μύθων οἱ μὲν περὶ ἀλόγων ζῴων εἰσὶν Αἰσώπειοι, οἱ δὲ περὶ ἀνθρώπων Συβαριτικοί* quibuscum concinunt eiusd. ad uesp. 1258 *καὶ οἱ μὲν Αἰσωπικοὶ* (sc. *μῦθοι*) *περὶ τῶν τετραπόδων ἦσαν, οἱ δὲ Συβαριτικοὶ περὶ τῶν ἀνθρωπίνων.* Has uidesne explicationes medius fidius conformatas esse ad Aristophaneorum locorum speciem, in quibus, quamquam echinus uere Aesopeam induit personam, casu tamen *τὰ ἀνθρώπινα* praeualent? Multo moderatius se gessit Diogenianus, qui postquam Aesopeas fabulas et

---

[1]) cf. Grotii hist. Graec. II p. 297 sqq. uers. theod.

Caricas et Sybariticas et Cyprias et Lybicas ὀνόματι μὲν διαφέρειν, δυνάμει δ'εἰσὶν ἐμφερεῖς professus est, Sybariticam uocari eam, qualis esset Aristoph. uesp. 1427. fabulam memorasse satis habet nullum de peculiari eius natura ausus facere uerbum. Etiam Theon ea re dissimiles esse Aesopeas fabulas Sybariticis censet, quod (quantum discriminis!) illae uerbis Αἴσωπος εἶπεν hae Συβαρίτης εἶπεν soleant incipere. Planum et apertum exstat apud Suidam quoque iudicium s. u. Συβαριτικαῖς: καὶ Συβαριτικοὶ λόγοι οἱ Αἰσώπειοι. Neque aliud uisum esse Hesychio Aesopeas fabulas aliud Sybariticas atque etiam has ad Aesopum referendas esse tanquam auctorem praeclare indicat narratio eius sane mira s. u. Συβαριτικοὶ λόγοι haec: τὸν γὰρ Αἴσωπον ἐν Ἰταλίᾳ γενόμενον σπουδασθῆναι σφόδρα φασίν, ὡς καὶ τὸ τῶν λόγων αὐτοῦ ἐπιδαψιλεῦσαι καὶ Συβαριτικὸν προςαγορευθῆναι. παροιμιώδεις οὖν οἱ Συβαριτικοὶ λόγοι. Et procul abesse Epicharmi Συβάρεια ἀποφθέγματα ab illis facetiis quae uindicabantur maximam partem Aesopo ne ipsi Graeci quidem putauere, siquidem Suidas cognomen Aesopi λογοποιός explicat uerbis ὅ ἐστιν εὑρέτης λόγων καὶ ἀποκριμάτων. Sed Odofredus Muellerus (h. l. Gr. I 258²) et Bernhardyus (h. l. Gr. II 2, 787) aliquantum interesse inter fabularum illa duo genera rebantur Aristophanis gemello illo exemplo ad hanc perducti sententiam. Nec uero ad duorum imaginem exemplorum, praesertim quorum altero paulo rursus infringi uideas quod ex altero concludi sane liceat, totius generis naturam describi ac definiri oportere ego quidem arbitror. Enimuero Kellerus qua est usus in his rebus iudicii temeritate magnum interesse discrimen inter Aesopeas et Sybariticas fabulas p. 359 sq. statuere non dubitauit. Is enim, ut omittam ipsum quoque Aristophanis illas duas fabulas cupide amplexum esse, quibus totam generis speciem et naturam mente informaret, scholiastarum iurat in uerba quae modo memoraui ad au. 471 et uesp. 1258

sane futtilissima, contraria Diogeniani Theonis Suidae Hesychii neglecta sententia. Iniuria porro argumentum peti posse iam dictum nobis est ex eo quod ab Epicharmo pro Sybariticis fabulis promiscue dictum esse uidetur *Συβάρεια ἐπιφθέγματα*[1]. Tutissimum denique praesidium sententiae suae parauit ille sibi adscitis schol. ad au. 471 uerbis hisce *εἰσὶ δέ τινες οἳ τοὺς βραχεῖς καὶ συντόμους λέγουσι Συβαριτίδας καθάπερ Μνησίμαχος ἐν Φαρμακοπώλῃ*. Hinc quam mira ille elicuerit, audi modo ipsum l. l.: den tiefern, wesentlichen unterschied beider fabelgattungen aber, welcher darin besteht, dass die sybaritische fabel in epigrammatischer buendigkeit schnurstracks auf die witzige pointe loseilt, waehrend sich die Aesopische fabel in epischer breite zu ergehen liebt — uirum doctum hoc exprompsisse paene incredibile est, sed exprompsit — haben diejenigen erkannt, welche als synonyma der *λόγοι Συβαριτικοί* die bezeichnung *Συβάρεια ἐπιφθέγματα* gebrauchten — sequitur Suidae illud testimonium omissis uerbis extremis *καὶ Συβαριτικοὶ λόγοι οἱ Αἰσώπειοι* — namentlich aber der vom schol. zu Ar. vö. 471 citierte komoediendichter Mnesimachos. Ad huius quam parum considerate confugerit testimonium breuibus mihi docebitur. Totius scholii sententiarum nexus si quid uideo hic est: fabularum alterae quae de animalibus mentis expertibus agant, uocantur Aesopeae, alterae quae de hominibus agant, Sybariticae; etiam[2] inueniuntur qui eas Sybariticarum — nam ad *τοὺς βραχεῖς καὶ συντόμους* esse *τῶν Συβαριτικῶν* (non uniuerse *τῶν μύθων*) mente addendum iubet

[1]) Profecto Epicharmus quod magis delectatus est salse dicteriis et fabularum iis quae brevissimae erant, quid mirum est in homine Dorico?

[2]) Sic pergendum; nam illud *δέ* ut hic non aduersatiua sed copulatiua, qua nouum quid adiungitur amplificandi causa nihil prioribus opponitur, habeatur permittit uoculae usus, postulat loci totius ratio.

discernendi ante instituta ratio —, quae praeter ceteras sint breuiculae et adstrictae, peculiari uoce nuncupent Sybaritides. Ipsarum igitur Syrbariticarum, quae spatio uulgo aequales sunt Aesopeis, excellunt quaedam breuitate, quas per lusum dixere quidam Sybaritides [1]) femineam tanquam earum exilitatem ipso nomine iocose significantes et uirilibus quasi et plenioribus opponentes *μύθοις* Sybariticis.

Ex omnibus quae dixi quid redundat ad fabularum Graecorum antiquissimarum originem in clariore luce collocandam? Nihil, nisi quod, ut aliquando Athenis fabularum cuiuslibet generis obtinuit studium, ita multis annis ante Sybari studiose narratas esse fabulas et ab hominibus eo frequenter commeantibus dispersas esse per Graeciam nomine celeberrimae illius urbis praeditas. Thurum denique Sybaritam Theone teste a nonnullis laudatum esse ut *μυθοποιόν*, ne uanis indulgeamus coniecturis, commemorasse satis habeo neutrius me ausus committere sententiae quam protulerunt de hoc Grauertus p. 71 et Kellerus l. l.

Etiam alia exstant nomina quae cum Aesopeis commixta inueniuntur fabulis et paene despicienda in hac quaestione nobis uidentur nisi ipsis quoque abusi essent uiri docti. Diogenianus quidem praeter Aesopeas Libycas Sybariticas affert Caricas et Cyprias fabulas, quas omnes nominibus illas quidem differre sed re ipsa esse aequales eum docuisse iam dictum est. Quorum nominum numerum auxit Theon his *Φρύγιοι Κιλίκιοι Αἰγύπτιοι*. Item natura omnia esse ea genera paria, a uariis autem initiis nominum cepisse proprietates affirmat [2]).

---

[1]) Vox substantiua fem. gen. num quae sit mente addenda ambigo. Plurimum ab his Sybaritidibus distare apparet eam quam commemorat Ouidius trist. II 417.

[2]) Eum esse sensum uerborum illius paulum obscurorum *τούτων δὲ πάντων μία ἐστὶ πρὸς ἀλλήλους διαφορά, τὸ προςκείμενον*

Audaciorem se praebuit Hermogenes, nimirum qui, cum etiam posterius quam illi scripsisset, maiorem sibi commentandi esse licentiam existimaret, haec confidenter professus (I 10 Walz.) ὀνομάζονται δὲ ἀπὸ τῶν εὑρόντων οἱ μὲν Κύπριοι κτλ. Hunc secutus est Aphthonius cum scriberet (I 59 W.) καλεῖται (sc. ὁ μῦθος) Συβαριτικὸς καὶ Κίλιξ καὶ Κύπριος, πρὸς τοὺς εὑρόντας μεταθεὶς τὰ ὀνόματα. Saniora ad Theonis uidelicet doctrinam reuersus scholiasta dedit illius anonymus haec (II 8 W.) καὶ τοῦτο δέ γνῶναι καλὸν ὡς τοὺς μύθους (uniuersos amplectitur unoquoque nomine) οἱ μὲν Αἰσωπείους ὠνόμασαν, οἱ δὲ Συβαριτικούς, οἱ δὲ Φρυγίους, οἱ δὲ Λυδίους (hoc ipsum nouum inducitur nomen) ἀπὸ τόπων τινῶν ἢ προσώπων τὰς προσηγορίας εὑρόντες.

Duplex ergo causa affertur ab his, cur tanta inualuerit nominum multitudo: altera quod ea gens, cuius nomine fertur fabula, eam inuenerit — hanc excogitare facillimum, probare aut credere difficillimum —, altera quod ab eius, qui fabulam narrasse aut in ea aliquid gessisse fingitur, natione nomen traxerit fabula. Atque hanc quidem causam uerissimam esse persuasit mihi uel una Herodoti Lipsio uiro doctissimo nuperrime perspecta et quaest. logogr. p. 4 descripta consuetudo qua ille non propriam sed communem ut puto Graecorum indolem secutus Ἀσσυρίους uel Λιβυκοὺς uel Αἰγυπτίους λόγους non alios intellegere consueuit nisi quae ipse de Assyriis Libycis Aegyptiis uel tradidit uel traditurus fuit. Praeterea cum his conferas Xenophontis mem. II 7, 13 dicendi rationem τὸν τοῦ κυνὸς λόγον. Iam cum in excogitandis uel narrandis fabulis historiolisque modo huius modo illius inducere singulis placuisse externae nationis homunculum uel etiam regionem, dummodo exter-

---

αὐτῷ ἕκαστον ἴδιον γένος· οἷον Αἴσωπος εἶπεν ἢ Λίβυς ἀνὴρ ἢ Συβαρίτης ἢ Κυπρία γυνὴ καὶ τὸν αὐτὸν τρόπον ἐπὶ τῶν ἄλλων persuasum nescio an sit omnibus.

nae esset, quo maiorem mira illa et inaudita res adipisceretur fidem: facillime factum esse contendo ut magnus ille apud neminem illorum rhetorum sibi constans numerus euaderet nominum, quae neque originis inueniendae neque generis peculiaris fabularum statuendi describendiue ullas dare possunt ansas.

At Kellerus, qui quot nomina rhetorum illorum doctrina male concocta ei suppeditabat tot fabularum genera esse statuit et iustos commentariolos de uno quoque confecit generum suorum, quin fabularum etiam Phrygicarum librum in Graeciam deuenisse contenderet p. 360 non poterat retineri. Per totam porro Lydiam Phrygicam istam speciem penetrasse in Graeciam is facile poterat iudicare, diligenter qui non ipsarum Graecarum indagauit uestigia et Lydiarum fabularum, quas solus laudauit Theonis scholiasta anonymus, aliquam auebat reperire rationem; singularem has esse fabularum speciem contendere mirum quantum ausus non est.

Diogeniani uero uerba *Καρικὸς δὲ αἶνος λέγεται, ὃν ἀναφέρουσιν εἰς γένει Κᾶρα ἄνδρα· τοῦτον γὰρ ἁλιέα τυγχάνοντα χειμῶνος κτλ*, quibus tantum unam hanc narratiunculam antiquissimam Simonidis Cei et Timocreontis auctoritate nobilitatam fabulis sane disparem Caricam ea qua dictum est causa appellari consueuisse elici oportet, Ot. Muellerus ita urgebat, ut hist. litt. Gr. I 258² Caricarum peculiare exstitisse genus fabularum ratus his earum naturam confidenter describeret: dagegen waren die karischen fabeln aus dem menschlichen leben entnommen. Iuxta haec extemplo ponere iuuat Kelleri in quam alienissimis adscitis rebus abiit p. 362 opinionem: unter den karischen fabeln hat man sich, wie es scheint, kurze, pikante erzaehlungen von tieren, meist fischerfabeln (!) von oft altertuemlichem charakter zu denken. Suidae uerba s. u. *Καρικῇ μούσῃ*, quae intempestiue huc affert Kellerus, huc nihil pertinere utpote ad lugubres

illorum cantus spectantia Spohnio[1]) iam assentitus est Grauertus. Deniqui quibus Plinius n. h. IX. 8, 10 et 8, 8 delphinorum illustrat historiolis naturam, eas in Caricarum quas ille statuit fabularum genus referre ineptissimum hercle est. Atque in tam contrarias duumuiros illos discessisse de Caricis suis fabulis sententias mirum cuinam est, non solum excesso utrimque qui coniecturis concessus est modo sed etiam omni temere abiecta ipsorum Graecorum saniore quam illi esse putauerunt, si modo diligenter eam perscrutere, doctrina?

Haec sunt quae de antiquissimarum Graecorum fabularum origine et condicione enucleari posse ex ipsis eorum litteris ac monumentis arbitror. Et quoniam non unius uiri umeris imponi posse certum est negotium uniuersae apologorum rationis explorandae qua usi sint tum apud orientales tum apud occidentales, quibus singulis conquisitis dispositis exspoliatis commune fortasse quoddam ipsorum uinculum fontemque communem inuentum iri tum demum spes etsi ardua tamen non nulla erit: haec mea si cui probata erunt, quibus insistens suam in rem adhuc obscuram conferre uelit operam, oleum et operam non perdidisse mihi uidebor.

[1]) de extrema Odyss. parte p. 33.





VITA.

Georgius Felix Theodorus Neubner natus Budissae in urbe Lusatiae a. d. IV Cal. Mai. anni h. s. LXIV patre Eduardo quem ante hos duodecim annos praematura morte ereptum mihi lugeo matre Margarita e gente Kirschiana adhuc uitale carpenti lumen fidei addictus catholicae primis litterarum rudimentis imbutus patriae in ludo qui est ad aedem S. Petri anno aetatis undecimo receptus inter discipulos gymnasii Budissini, quod a Kreusslero tum regebatur uiro summopere omnibus uenerando atque philologiae lumine, instructus post nouennium maturitatis testimonio ciuitatem adeptus academiae Lipsiensis philologiae studiis me dare coepi et usque ad hunc diem perseueraui.

Docuerunt me uiri illustrissimi atque doctissimi Curtius et Ecksteinius tristi iam almae matri fato erepti, de Bahderus Crusius Gardthausenius Heinzius Hildebrandius Lipsius El. Meyerus Ribbeckius Richterus Struempellius Wachsmuthius Wundtius Frid. Zarnckius. Per quattuor semestria proseminarii philologorum sodalis fui. Zarnckius et de Bahderus ad exercitationes theodiscas identidem me admiserunt Richterus ad paedagogicas. Imprimis uero gaudeo quod Ribbeckii et Wachsmuthii beneuolentia factum est ut huius per duo illius per tria semestria societatibus philologis interessem sodalis ordinarius. Igitur cum omnibus praeceptoribus qui doctrina me fouerunt tum Ribbeckio Wachsmuthioque pro summis in me meritis gratias ago agamque quam maximas.



HABENT SUA FATA LIBELLI.

p. 13 adn. 1 legas 41 pro 42.
„ 21 u. 1 „ κάρκινος pro καρκινος.
„ 24 „ 23 „ 9 pro 8.
„ 30 „ 25 „ paulisper pro paulipser.
„ 32 „ 2 „ λόγοις pro λόϱοις.
„ 32 „ 26 comma delendum.
„ 36 adn. 1 u. infimo legas 84 pro 86.
„ 37 u. 11 legas testis pro tectis.
„ 46 „ 10 „ temptauerit pro templauerit.
„ 46 „ 24 „ quendam pro quaendam.
„ 55 adn. 3 uu. 3 sq. legas Ἀρχε-βούλειον pro Ἀρχ βούλειον
et ὑπὸ pro ὑπὺ.
„ 73 u. 16 legas est pro et.
„ 76 adn. 1 „ ἐστὶ pro ἐσιι.

